

BARNABAE BRISSONII IC.

REGII CONSISTORII CONSILIARII AMPLISSIMIQVE SENATVS PARISIENSIS PRAESIDIS

ANTIQVITATVM EX IVRE CIVILI SELECTARVM LIBRI QVATVOR.

IN GRATIAM CVPIDAE LEGVM IVVENTVTIS OPVS RECENSVIT EMENDAVIT VARIIS ANNOTATIONIBVS INDICE ATQVE PRAEFATIONE INSTRVXIT

ALBERTVS DIETERICVS TREKELL IC.





LIPSIAE
APVD CASPARVM FRITSCH.
MDCCXXXXI.

VIRO
MAGNIFICO
ATQVE ILLVSTRI
IOANNI ANDERSON
I. V. D.
REIPVBLICAE HAMBVRGENSIS
CONSVLI
LONGE MERITISSIMO
PATRIAE PATRI
DOMINO ATQVE PATRONO
SVMME VENERANDO

OPVSCVLVM HOC
DAT DICAT CONSECRAT
CLIENS DEVOTISSIMVS
ALBERTVS DIETERICVS TREKELL.



VIR MAGNIFICE
ATQVE
ILLVSTRIS

Paucos admodum omnibus temporibus viros repertos fuiſſe, qui vtraque re excellerent, vt & doctrinæ ſtudiis, & regenda ciuitate principes eſſent, Ioue haud iniquo iudicauit maximus ille ſine controuerſia in vtraque arte Romanorum CICERO.* *Etenim ſi quis rerum geſtarum monumenta vel leuiter percurrere velit, is huius quoque aſſertionis veritatem difficulter haud deprehendet. Non vero exiſtimandum eſt, ipſa litterarum ſtudia ita comparata eſſe, vt homines ad rempublicam adminiſtrandam ineptos reddant: credendum potius, ea, ſi rite tractantur, iis, qui in ciuitate regenda verſantur, maximo eſſe adiumento, & hinc eam demum rempublicam eſſe felicisſimam, in qua aut viri litteris probe inſtructi tenent principatum, aut illi, qui ſummæ rei præſunt, ſedulo litteris ſimul dant operam. Licet enim concedendum ſit, ſæpius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam; & hinc multos ſæpe homines ſine doctrina, naturæ ipſius habitu prope diuino, excellenti animo atque virtute exſtitiſſe, eosque ſumma cum laude in republica adminiſtranda verſatos fuiſſe, illud tamen verisſimum eſſe, quod idem* CICERO** *affirmauit, fatendum quoque eſt, quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque*

* Vid. lib. III. de legibus, cap. VI. ** In Oratione pro Archia, cap. VII.

 doctri-

doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere. Hominum ergo potius, qui ita se litteris abdiderunt, vt nihil posſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum lucemque proferre; non vero ipſius eruditionis vitio factum fuit, vt litterarum ſtudiis nota illa fuerit iniuſta, & vt eorum, qui rempublicam capeſſere volunt, animus ab iis plerumque abhorrere ſoleat. Contra ea ex rerum geſtarum monumentis demonſtrari facile poteſt, illos, qui iuſto litterarum præſidio inſtructi ad rempublicam acceſſerunt, fructum exinde maximum fuiſſe conſecutos. Hinc ſingulis quoque temporibus non defuerunt viri ſine controuerſia maximi, (licet rarior eorum ſeges fuerit) qui non minorem ex felici ciuitatis adminiſtratione, quam ex litterarum ſtudiis laudem retulerunt. Si quis a me exemplum viri, qui in vtraque arte excelluit, magni requirat, ego BARNABAM BRISSONIVM *laudare non dubitabo, de quo verisſime Thuanus, candidus ille hiſtoricus, teſtatur, eum non ſolum inter litteratos ſcriptis plurimis editis, ſed & in republica, ac præcipue in foro, magnum ſibi nomen meruiſſe. Et licet ille in reipublicæ adminiſtratione fuerit infelicisſimus, id temporum tamen potius illorum infelicitati, quam hominis culpæ adſcribendum eſſe maximopere contendo. Quum vero in præſenti primum, quod in publicum emiſit, præclarisſimi huius viri opuſculum, nonnihil a me emendatum, in gratiam ſtudioſæ præſertim iuuentutis, prelo denuo committere decreuerim, talem mihi virum, cui illud more maiorum dicarem, circumſpiciendum eſſe exiſtimaui, qui hac noſtra tempeſtate in vtraque arte quam maxime excelleret, quemque vel hac in parte Briſſonio æquiparare poſſem, vel qui ipſum etiam Briſſonium ſupera-*

pera-

perare videretur. Quis vero maiori sibi iure hanc omni ex parte laudem asserere posset, quam TV, VIR MAGNIFICE ATQVE ILLVSTRIS, *qui ita in omni doctrinarum genere atque scientiis versatus es, vt summo semper otio abundasse videaris: ita vero summa cura in republica administranda versaris, vt nullum tibi tempus ad litterarum studia superesse videatur. Et si adhuc dubium fuisset, num reipublicæ administrandæ ars cum summa litterarum doctrina consistere posset:* TV *tamen*, VIR MAGNIFICE, *vel solus* TVO *docuisses exemplo, quam amice vtræque conspirent, quamque iniquum sit illorum iudicium, qui solidam eruditionem homines ad rempublicam vitamque ciuilem ineptos reddere putant.* TE *enim*, VIR MAGNIFICE, *summam eruditionem cum summa ciuili prudentia felicissimo coniunxisse connubio,* TE*que in vtraque arte, id, quod summum est, consecutum fuisse, ita, vt pauci hac ætate pares, (non in patriæ tantum nostræ exiguis finibus, sed in tota, quam late patet, Germania) superiores nulli existimentur, fatentur omnes, qui summas ingenii animique* TVI *dotes norunt paullo accuratius. Sed quum illæ & per se tantæ sint, vt nullius indigeant præconio, & si pro dignitate essent celebrandæ, meæ tamen ad id sufficere haud possint vires: ego me potius inter excellentium* TVARVM *virtutum admiratores, quam inter earum præcones numerare volo. Tacitam tamen* TVI, VIR MAGNIFICE, *admirationem iam a multo temporis spatio id effecisse demisse fateor, publiceque testor, vt nihil magis in votis habuerim, quam vt, quo propius virtutes* TVAS *admirabiles intueri possem, accessus mihi pateret, & vt vel in infimorum* TVORVM *clientum numerum adscriberer. Sed quoniam ha-*

cte-

Etenus quidem verecundia me mea ab hac felicitate consequenda impediuit: iam conciliatorem mihi assumo Brissonium, quo maiore iam fiducia, illo duce, accessum ad TE *mihi parare queam. Scio* TE, VIR MAGNIFICE, *& ipsum Brissonium, & omnia eius scripta in pretio habere, & hinc ea quoque spes me tenet,* TE *mihi, vel huius viri causa, facilem concessurum esse accessum,* TE*que haud ægre laturum esse, quod illustre* TVVM *nomen scripto huic præposuerim. Vt igitur Brissonium* TVVM *serena fronte accipias, meque simul, illo paranymphio, in clientum* TVORVM *numerum beneuole recipere haud dedigneris, est, quod iam a summa* TVA, *quæ cum illustri* TVA *dignitate coniuncta est, humanitate humillimis precibus expeto. Quodsi hanc votorum meorum summam consecutus fuero, non solum, vt antea, tanquam ciuis, sed iam vel maxime tanquam cliens, vota quotidie pro* TVA, *quæ cum communi totius huius reipublicæ quam arctissimo vinculo cohæret, salute nuncupabo quam ardentissima, vt Deus Optimus Maximus* TE, VIR MAGNIFICE, *publico bono natum, ad seros vsque annos reipublicæ nostræ conseruare, omniaque* TVA *consilia, quæ ad communem ciuitatis salutem tendunt, prosperare,* TE*que denique cum tota splendida* TVA GENTE *omni felicitatis ac prosperitatis genere beare clementissime velit. Ita voueo,* VIR MAGNIFICE ATQVE ILLVSTRIS, *votisque me meis quam maxime damnari cupio, simulque quam humillime obsecro, vt fauore & patrocinio* TVO *in posterum amplecti velis.*

Scribebam Hamburgi Id. Mart.
A. C. MDCCXLI.

clientem longe deuotissimum
ALB. DIETER. TREKELL.

PRAEFATIO.
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
ALBERTVS DIETERICVS TREKELL.

Ex quo tempore tum litteræ illæ, quæ ab humanitate denominari, tum ſcientiæ illæ, quæ ſub Philoſophiæ nomine comprehendi ſolent, ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio reſtauratæ ſunt, maximum quoque exinde commodum ad Iurisprudentiam redundaſſe, nemini, niſi omnium rerum ignaro, obſcurum eſſe poteſt. Hodiernam enim Iurisprudentiæ faciem ſi quis cum priorum ſeculorum barbarie * paullo attentius modo comparare velit, ei maxima ſtatim differentia in oculos incurret. Non a me exſpectabis, L. B. vt hoc argumentum latius explicem, aut multis vtilitatem tum humanarum litterarum, tum Philoſophiæ in Iurisprudentia demonſtrem: fecerunt enim hoc iam multi viri erudititiſſimi, & ea quidem ſoliditate & argumentorum pondere, vt omnino actum agere viderer, ſi hoc argumentum denuo pertractare inſtituerem. Immo, ſi dicendum quod res eſt, nemo hodie vtilitatem iſtarum diſciplinarum negare amplius audet; & ſi qui etiamnum ſunt, qui contra illam adhuc muſſitant, eorum tamen vox communi eruditorum conſenſu exploditur.

Verum enim vero grauius hodie damnum Iurisprudentiæ imminet ab iis ipſis, qui maxime ſpeciem præ ſe ferunt, ac ſi Iurisprudentiam illuſtrare & ad maiorem perfectionem perducere velint. Hi enim in duas veluti ſectas diuiſi eſſe videntur, quarum neutram ſequi debet ſolidioris Iurisprudentiæ ama-

* Legi hac de re merentur *M. Antonii Mureti* Oratio XV. & XVII. *Volum.* I. *Orationum* iunctim editarum, qui barbariem iſtam viuis coloribus depinxit.

)(tor.

tor. Alii enim, neglecta Philosophia, solarum elegantiorum litterarum præsidio freti, Iurisprudentiam non nisi ex historia & antiquitatibus illustrandam esse contendunt. Alii contra, litterarum elegantiorum præsidio destituti, ex sola Philosophia ius interpretari, omniumque legum rationes eruere instituunt, immo vel solius methodi demonstratiuæ ope Iurisprudentiam ad maximam perduci posse perfectionem acriter contendunt. Pauci vero sunt, quibus meliori luto finxit præcordia Titan, qui scilicet probe intelligunt, neque solam Philosophiam, neque solas elegantiores litteras ad Iurisprudentiam perficiendam sufficere posse: sed diuinam illam iusti iniustique scientiam non minore Philosophiæ, quam istarum litterarum, quæ ab humanitate nomen sortiuntur, præsidio quam maxime indigere, & hinc ab eo quoque, qui Iurisprudentiam solidiore paullo ratione illustrare cupit, Philosophiam cum elegantioribus litteris serio omnino esse coniungendam.

Non longam huius veritatis demonstrationem proferam: sed paucis mentem tantum meam de vniuersa Iurisprudentiæ ratione aperiam.

Ius particulare vniuscuiusque reipublicæ partem esse iuris vniuersalis, quod toti humano generi commune est, inter omnes constat.

Ius vniuersale non potest esse, nisi Diuinum: nullus enim humanus legislator toti humano generi ius aliquod præscribere potest: ergo a solo Deo, totius humani generis auctore, originem habere debet. Quemadmodum vero Deus vel per rectam rationem, vel per specialem aliquam reuelationem humano generi ius quoddam promulgare potuit: ita ius Diuinum recte dispesci solet in ius naturale, & in ius positiuum. *

* Non hoc loco disputabo, num sit aliquod Ius Diuinum positiuum vniuersale: id tantum defendo, posse tale ius concipi, quia Deus toti humano generi per reuelationem leges quasdam promulgare potuit, quæ deinceps vel per scripturam aliquam, vel etiam per traditionem propagari potuerunt ac debuerunt. Sed

Ius

Ius particulare quemadmodum vel a Deo, vel ab hominibus originem habet, ita quoque vel Diuinum est, vel humanum. Porro quemadmodum Diuinum vel ex sana ratione, vel ex reuelatione innotescit, ita hoc etiam est vel naturale, vel positiuum. *

Ius omne, siue Diuinum, siue humanum, ad salutem eorum, quibus praescribitur, merito tendere debet, & eatenus admitti potest effatum illud HORATII *Serm. lib.* 1. *Sat.* 3. *v.* 98.

Atque ipsa vtilitas iusti prope mater & aequi est.

Ius igitur vniuersale intendit salutem totius generis humani: ius vero vnumquodque particulare salutem vnius duntaxat reipublicae promouere debet. Hinc quemadmodum in vnaquaque republica salus illius suprema lex est: ita salus quoque totius generis humani pro suprema iuris vniuersalis lege merito est habenda. **

Ius naturale, tam vniuersale, quam particulare, pro parte Philosophiae practicae omnino est habendum. Philosophia enim practica circa actiones versatur humanas, docetque, quid

hanc quaestionem, vtpote altioris indaginis, excutiendam, in aliud tempus reseruabo.

* Ius Diuinum positiuum particulare non tantum existere posse, sed & reuera in Iudaica olim republica aliquod extitisse, omnes fatentur. Sed ius etiam aliquod naturale particulare reperiri, non omnes forsan concedent: ergo paucis mentem hac de re meam explicabo. Ius naturale esse vel absolutum, vel hypotheticum notum est. Prius semper est vniuersale; nam ad totum genus humanum pertinet: sed posterius potest esse & vniuersale & particulare. Vniuersale praesupponit generalia totius humani generis instituta, v. g. dominium. Particulare praesupponit particularia vnius alicuius reipublicae instituta. Quando enim regulae iuris naturae absoluti ad certa instituta humana applicantur, tunc inde ius naturae hypotheticum emergit, vt docui in *Tract.* mea de *Testamentifact. cap.* 1. §. 2, *not.* (a) Sic etiam quando regulas iuris naturae vniuersalis ad certum aliquem vnius reipublicae statum applico, tunc inde emergit ius aliquod naturae particulare. Sed haec vberiorem merentur tractationem, quam ad commodiorem locum reseruo.

** In tanta ergo eruditorum de primo iuris naturae principio contentione, ego omnino statuo, nullum melius & adaequatius iuris naturae vniuersalis principium excogitari posse, quam salutem generis humani, quod alia forsan occasione demonstrabo.

bonum, quid malum, quid iuſtum, quidue iniuſtum, quid vtile denique, quidue inutile. *

Ius ciuile, ſiue humanum, vniuscuiusque reipublicæ præſupponit ius naturale, tam vniuerſale, quam particulare. Quicunque enim vel reipublicæ alicui leges præſcribere, vel leges alicuius reipublicæ iam latas diiudicare, interpretari, aut applicare vult, illi ius naturale, tum vniuerſale, tum particulare, penitus perſpectum eſſe debet.

Quicunque ergo Iurisprudentiæ ſedulo & cum fructu operam nauare cupit, illi generalia inprimis iuris præcepta ex Philoſophia practica cognita eſſe debent, vt probe intelligat, quibus in rebus vera totius humani generis ſalus conſiſtat. Sic enim de particularis demum alicuius reipublicæ ſalute rectum ferre poterit iudicium, dum vniuerſalia ſcilicet iuris præcepta ad particularem vniuscuiusque reipublicæ ſtatum rite applicat, ex qua nimirum applicatione ius naturæ particulare oritur.

Qui ita per Philoſophiam præparatus eſt, is demum poterit ius ciuile ſiue humanum aliquod vel nouum condere, vel iam conſtitutum diiudicare, interpretari, riteque applicare. Ius enim ciuile ſiue humanum a iure naturæ particulari non niſi ratione originis, & ratione modi promulgandi differre debet, ſi nempe recta ratione duce conditum ſit. Quod ſi enim ab illo differt, indicium illud eſt, legislatorem in iure illo condendo ſanam rationem in conſilium haud adhibuiſſe.

Quia vero vnumquodque ius particulare ad ſtatum illius, cui præſcriptum eſt, reipublicæ adcommodatum eſſe debet: per ſe facile patet, eum, qui ius aliquod vel nouum condere, vel conſtitutum iam diiudicare, interpretari & applicare vult, poſt iuris naturalis cognitionem id maxime operam dare debere,

* Quatenus ergo veteres per Iurisprudentiam non ſolam ciuilem, ſed & naturalem intellexerunt, eatenus recte ſtatuerunt, Iurisprudentiam eſſe partem Philoſophiæ. Confer quæ notaui ad auctorem noſtrum lib. IV. cap. 16.

re,

re, vt intimum illius, cuius circa ius versatur, reipublicæ statum quam exactissime cognoscat.

Quando ergo ius quoddam veteris alicuius reipublicæ, quæ non amplius exstat, (vt hodie ius Romanum) diiudicare, interpretari & applicare debemus: tunc prima merito nostra cura erit, vt ex historia & antiquitatibus intimum reipublicæ illius statum, quantum fieri potest, quam accuratissime perspectum habeamus: deinde vero & regulas iuris naturæ ad singularem illum statum applicare debemus: sic enim facili negotio intelligere poterimus, quid in illa republica secundum eius constitutionem in singulis negotiis obuenientibus iustum fuerit, quidue iniustum.

Si quis igitur non tantum regulas iuris naturalis accurate intelligit, sed & habitum, illas ad quemcunque particularem reipublicæ cuiusdam statum applicandi, sibi adquisiuit; deinde vero ex historia & antiquitatibus statum veteris reipublicæ Romanæ ita cognitum habet, vt ex illo veram iuris Romani rationem in vnoquoque negotio reddere possit, & ostendere, quam prudenter, vel secus, ius Romanum conditum sit, quatenus denique ius illud, hodie in subsidium receptum, ad præsentem nostrarum rerumpublicarum constitutionem applicari possit, vel minus: eum ego perfectum (quod ad iurisprudentiam scilicet ciuilem attinet) iureconsultum pronunciare non dubitabo.

Ex hactenus explicatis abunde iam intelligi posse spero id, quod initio affirmaui: ad Iurisprudentiam nimirum & accuratam omnino Philosophiæ, practicæ præsertim, (quæ theoreticam tamen præsupponit) & exactissimam historiæ & antiquitatum (quæ tamen disciplinæ a cæteris elegantioribus litteris separari nequeunt) cognitionem quam maxime esse necessariam: * ex quarum disciplinarum iusto, vt ita loquar, connubio ne-

* Hanc opinionem iam veteres fouisse, ex multis locis probari posset. Legi præcipue merentur CICERONIS *lib. 1. de Legg.* & *lib. 1. de Oratore.*

ſcio quid præclarum ac ſingulare in Iurisprudentia ſolet exiſtere. Qui vero alterutrius præſidio deſtituuntur, illi vel meri erunt hiſtorici, vel meri philoſophi: auguſtum vero illud Iuriſconſulti nomen iure meritoque aſſerere ſibi nequeunt.

Deinde ex hisce facile quoque diiudicari poterit quæſtio illa, hodie inter eruditos tam acriter agitata, num videlicet in Iurisprudentia, Romana præſertim, methodus demonſtratiua locum habere poſſit. *

Ego quidem pronunciare non dubito, methodum demonſtratiuam in Iurisprudentia omnino non tantum locum habere poſſe, ſed etiam debere. ** Nam primo Iurisprudentiam naturalem vniuerſalem methodo demonſtratiua pertractari poſſe, nemo hodie facile negabit. Deinde poſſe ius naturæ vniuerſale ad certum aliquem particularis reipublicæ ſtatum applicari, & exinde ius aliquod naturale particulare formari, ex iis, quæ antea expoſui, apparere arbitror. Nihil vero prohibet, quo minus hoc quoque ius naturæ particulare, perinde ac vniuerſale, demonſtratiua methodo proponi poſſit.

Porro negari non poteſt, ex hiſtoria & antiquitatibus multa nobis de veteris reipublicæ Romanæ ſtatu innoteſcere, & hinc ſæpe quoque numero rationes nobis cognitas eſſe, cur leges olim in iſta republica hoc illoue modo conditæ ſint. Quando ergo primo ex rationibus philoſophicis oſtendere poſſumus,

* Methodus, mea quidem opinione, totuplex eſſe debet, quotuplex eſt cognitio humana. Quemadmodum ergo cognitio humana eſt vel hiſtorica, vel ſcientifica; & hæc rurſus vel philoſophica, vel mathematica: (quæ gradu inter ſe tantum differunt. Confer illuſtris huius ſeculi Philoſophi, *Chriſt. Wolffi Præcognita Philoſophiæ*, quæ *Logicæ* eius præmiſſa ſunt) ita methodus quoque eſt vel hiſtorica, vel ſcientifica, ſiue demonſtratiua; & hæc rurſus vel philoſophica, vel mathematica.

** Quando methodum demonſtratiuam in Iurisprudentia locum habere aſſero: id præcipue de methodo philoſophica intelligo. Nam methodum mathematicam ſtricte ſic dictam raro admodum in Iurisprudentia locum habere poſſe, omnes, vt ſpero, facile concedent, quandoquidem in Iurisprudentia raro ad cognitionem aliquam mathematicam peruenire queamus.

poſito

poſito hoc illoue reipublicæ ſtatu, leges eo, nec alio modo, condi debere; quando deinceps ex hiſtoria & antiquitatibus nobis innoteſcit, talem olim in republica Romana ſtatum adfuiſſe, & hinc eo quoque modo ius Romanum fuiſſe ordinatum: tunc omnibus numeris abſolutam habemus demonſtrationem in iure ciuili. Quis vero negare audebit, ſæpe numero, adhibitis legitimis mediis, ita procedere poſſe Iureconſultum in iure Romano explicando, atque adeo methodum quoque demonſtratiuam in eo locum habere poſſe. Quis etiam negare audebit, methodum hancce omnium eſſe optimam, & hinc eam quoque, quantum fieri poteſt, omnino eſſe adhibendam.

Enim vero alia longe quæſtio eſt, num totum ius Romanum demonſtratiua hacce methodo accurate pertractari poſſit? Hoc ego quidem in præſenti neque affirmare, neque negare volo: id tantum dico, mihi hoc quam maxime arduum, & opus, quod vires fere humanas excedit, eſſe videri. Qua in re facile mecum conſentiet, qui id modo, (vt cæteras prætereram difficultates) conſiderabit, quam multa nobis de veteris reipublicæ Romanæ ſtatu, & de ſingulis vniuſcuiusque temporis circumſtantiis ſint incognita. Sed, ſi vel maxime opus hocce nunquam ad ſuam perduci poſſet perfectionem: vtile tamen nihilominus ac neceſſarium erit, vt tantum hac in re præſtent Iuriſconſulti, quantum per humanam fieri poteſt imbecillitatem: nam & conatus ſuis non carebit laudibus, & Iurisprudentia hac ratione ad maiorem indies perfectionem perueniet.

Quantum enim cognitio philoſophica cognitioni præſtat hiſtoricæ: tantum Iurisprudentia methodo demonſtratiua tradita præſtat illi, quæ vulgari tantum methodo proponitur. *

* Ex methodo vulgari oritur cognitio tantum hiſtorica: ex methodo vero demonſtratiua oritur cognitio philoſophica in iure. Qui cognitione tantum hiſtorica gaudent, illi non niſi vſum habent: qui vero cognitione etiam philoſophica inſtructi ſunt, illi habent & artem. Qua in re Seruium Sulpitium cæteris ſuæ ætatis ICtis præſtitiſſe teſtatur CICERO in *Bruto*, ſiue *de claris Orat.*

Nam

Nam licet a cognitione historica omnino sit incipiendum, & in multis, immo plurimis rebus, cognitione historica contenti adhuc esse debeamus in Iurisprudentia Romana: opera tamen quam maxime danda est, vt ope Philosophiae ad philosophicam quoque cognitionem sensim perueniamus, nec semper in historica tantum cognitione persistamus. **

Ego interim vnam alteramue hoc loco, cum bona lectoris venia, admonitionem adiungam. Primo quidem vehementer suadeo, vt illi, qui hac in re aliquid tentare cupiunt, sufficientia, tum ex Philosophia, tum ex elegantioribus litteris, praesidia ad tantum opus perficiendum afferant. Qui enim non in vtroque scientiarum illarum genere aeque accurate versati sunt, illi parum sane proficient. Si quid enim ego iudicare valeo, illi, qui hactenus specimina quaedam in publicum ediderunt, (quod pace illorum dictum sit) vel solis philosophicis rationibus nixi, parum praesidii ex humanioribus litteris attulisse; vel harum litterarum cognitione probe imbuti, non satis philosophicis scientiis aut sufficienti methodi demonstratiuae cognitione instructi fuisse mihi videntur.

Deinde & eos errare puto, qui existimant, Iurisprudentiam methodo demonstratiua tradi haud posse, nisi & aridum illud scribendi genus, quo mathematici vti solent, simul imitentur: quod parum tamen ad rem ipsam conducit, & id tantum efficit, vt, quoniam Iurisconsulti sicco isti proponendi modo haud adsueti sunt, methodum hancce vtilissimam & laudabilem solo fere scribendi illo genere quam maxime odiosam reddant.

Porro & hoc approbare nequeo, eos, qui hactenus me-

cap. 41. his verbis: *Sic enim existimo, iuris ciuilis magnum vsum & apud Scaeuolam, & apud multos fuisse: artem in hoc vno.* Simul vero in sequentibus indicat, id cum per philosophiam consecutum fuisse.

** Ex hisce facile diiudicari poterit, quatenus B. *Schulkingii* sententia, quam proposuit in Oratione *de Iurisprudentia historica*, (quae ad calcem eius *Iurisprudentiae Anteiustin.* exstat) & in Praefatione ad dictam *Iurispr. Anteiust.* sit approbanda.

thodo

thodo demonstratiua in iure Romano vsi sunt, ne vel ignorantiam suam, quando veras ignorant rationes, vel iuris Romani vitia, quando illud male cohærere deprehenditur, proderent, id præcipue operam dedisse, vt quacunque ratione exactissimam vbiuis ostenderent connexionem; & hinc eos pro veris falsas sæpe rationes afferre, & sic nubem, vt aiunt, pro Iunone amplecti, haud dubitasse.

Ego vero existimo, eum, qui methodum hancce in iure Romano rite adhibere vult, candide omnino in iure hac ratione tractando versari debere, vt semper nimirum ostendat, vbi ius Romanum recte cohæreat, vbi minus; vbi illud secundum rectam rationem conditum sit, vel secus; vbi denique veras & accuratas reddere possimus rationes, & vbi illas ignoremus. Id tamen concedo, quando veræ certæque nobis rationes sunt incognitæ, probabiles interim per hypothesin posse admitti: (id quod etiam Philosophi sæpe faciunt) modo vbique exacte ostendatur, quænam rationes certæ sint, quænam vero probabiles: id ipsi enim methodo nihil obesse opinor. *

Denique & hac in re sæpe numero peccari animaduerti, quod illi, qui hacce methodo vtuntur, id tantum plerumque operam dent, vt hodiernum ius Romanum Iustinianeum aliquo modo in connexionem redigant, raro vero oculos ad veterem Iurisprudentiam dirigant; qua quidem ratione, si quid ego video, nunquam exoptatum consequentur effectum.

Ius enim nostrum, quo hodie vtimur, Romanum non pluuii instar vno tempore de cœlo descendit, aut fungi instar

* Sic præcipuæ quoque illorum corruunt obiectiones, qui methodum demonstratiuam in iure adhiberi posse negant: illi enim vel ignorantiam nostram accusant, quod veras scilicet iuris Romani rationes perspicere nequeamus: vel ipsum ius Romanum arguunt, quod illud videlicet male cohæreat. Sed vtrumque, si etiam quodammodo concedatur, assertum, methodo tamen demonstratiuæ nihil nocere posse existimo. Nam nulla meliori ratione, quam per ipsam illam methodum, patere potest, vbi veras iuris rationes sciamus, vel ignoremus; & vbi ius Romanum bene vel male cohæreat, siue cum principiis iuris naturalis, siue cum ipso reipublicæ Romanæ statu.

vna nocte natum fuit: (vt quam sæpissime monuit in scriptis suis incomparabilis ICtus, *Gerhardus Noodt*) sed credendum potius est, ad ius Romanum in eam, vti a Iustiniano digestum fuit, formam redigendum, omne illud temporis spatium, quo maxima illa respublica floruit, necessarium fuisse, ab ipsis scilicet vrbis incunabulis ad Iustiniani vsque imperium. Qui enim historiam iuris vel leuiter degustarunt, illi quoque sciunt, ius Romanum cum ipso reipublicæ statu multas variasque semper passum fuisse mutationes, ea quidem ratione, vt nouum ius veteri semper fuerit superstructum, & ita quidem, vt sæpe numero manentibus veteribus iuris principiis, nouæ tamen conderentur leges, quæ cum istis non vbique exacte cohærent; & contra manentibus antiquis legibus, noua subinde per interpretationem, vel Iureconsultorum, vel Magistratuum, introducerentur iuris principia: quod quidem, licet id fuerit incommodum, per ipsam tamen reipublicæ illius rationem aliter fieri haud potuisse, ex historia & antiquitatibus facile apparet. Ex quibus iam efficitur, eum, qui ius Romanum exacte diiudicare, interpretari & applicare; præcipue vero illum, qui ius istud methodo demonstratiua tradere vult, oculos omnino dirigere debere ad initium & progressum iuris in vnoquoque negotio. Sic enim rationes demum iuris hodierni Iustinianei perspiciet, si cognitum illi sit, quid in vnaquaque re in republica Romana singulis, ab eius vsque origine, temporibus constitutum fuerit. *

Negare non possum, sæpe numero me exoptasse, vt omnia iuris Romani argumenta hac ratione historice primum pertractata essent a Iurisconsultis: sic enim non dubito, fore, vt multo faciliori ratione ius Romanum hodiernum in formam demonstratiuam redigatur. Quemadmodum enim cognitio

* Immo interdum quoque ad tempora ante ipsam vrbem conditam respiciendum: quædam enim iuris principia ex Latio, præsertim ex Alba longa sunt deriuanda, quod alio forsan tempore demonstrabo.

phi-

philoſophicâ hiſtoricam ſemper præſupponit: ita omnem quoque conatum, ius Romanum in formam demonſtratiuam redigendi, irritum eſſe puto, donec exactam iuris Romani hiſtoricam in ſingulis argumentis tractationem habeamus. Et licet diuerſa exſtent virorum eruditorum ſpecimina, quæ ſua laude non ſunt defraudanda, longe maxima tamen pars adhuc non eſt elaborata.

Semper quoque credidi, hanc optimam iuris Romani viua voce tradendi methodum eſſe, vt in ſingulis argumentis, præmiſſis generalibus ex iure naturali principiis, origo primo & progreſſus iuris in Romana republica ex hiſtoria & antiquitatibus oſtendatur, & tum demum nouum ius Iuſtinianeum iuſto ordine explicetur, tandemque quatenus illud hodie applicari poſſit, doceatur. Quam methodum ego quidem, quantum fieri potuit, ſemper obſeruaui, quoties aliis viam ad Iurisprudentiam muniendi occaſio mihi data fuit, & in poſterum quoque obſeruare, ſi qui erunt, quibus opera mea hac in re vti libuerit, non deſiſtam.

Lubido quoque me aliquando inceſſit, ſpecimen aliquod huius rei publice orbi erudito offerre: id quod etiam a me præſtitum fuit. Nam ante biennium Tractationem aliquam hac ratione elaboratam de *Teſtamentifactione* edidi: vtrum vero bene, an ſecus, conatus hicce mihi ceſſerit, aliorum eſto iudicium. Id interim negare nequeo, maximo me gaudio affectum fuiſſe, quum intellexerim, opuſculum illud multis haud fuiſſe ingratum. Promittere quidem non poſſum, me plura talia ſpecimina in poſterum eſſe editurum: operam tamen interea dabo, vt aliis ad talia opera elaboranda viam quaſi ſternam. Quia enim exacta præſertim antiquitatum Romanarum cognitio ad ea requiritur, nihil me, quod ad Romanæ reipublicæ antiquitates emendandas, & in meliorem formam redigendas pertinere videbitur, intermiſſurum eſſe ſpondeo. Totus enim iam animus meus in antiquitatibus hisce haud vulga-

ri ratione perſcrutandis defixus hæret, & ſi Deus vitam viresque largietur; id præcipue operam dabo, vt & iuſtum aliquando compendium, & perfectum aliquod (quantum videlicet vel rei natura, vel imbecillitas mea patitur) ſyſtema antiquitatum Romanarum orbi erudito exhibere queam. Sed quia hoc multorum annorum opus eſt, proximum erit, vt ſelecta interim quædam argumenta, ſub titulo *Selectarum Antiquitatum*, primo quoque tempore cum orbe erudito communicem. Ea vero ſeligam argumenta, quæ vel non ſatis pro dignitate, vel mea opinione perperam ab eruditis hactenus ſunt pertractata.

Sed de illo quidem opere latius tunc in Præfatione eius, ſi Deus voluerit, differam: iam vero, ne hæcce nimis euagetur Præfatio, ad librum me illum, quem in præſenti orbi erudito, & cupidæ in primis legum iuuentuti, omnibusque ſolidioris iurisprudentiæ amatoribus offero, conferre debeo.

Neque vero vel ipſe Tractatus, vel ſcriptor eius ignotus eſſe cuiquam poteſt, & hinc neuter quoque commendatione indigebit. Sciunt enim omnes, qui non plane in republica litteraria hoſpites ſunt ac peregrini, BARNABAM BRISSONIVM inter primos fuiſſe, qui ſolidiorem iurisprudentiam reſtaurarunt, eamque a priorum ſeculorum barbarie perpurgatam reddiderunt, & hinc omnia quoque ſcripta eius diurna nocturnaque manu eſſe verſanda ab iis omnibus, quibus ſolidior iurisprudentia curæ cordique eſt. Præſens quidem ſcriptum primum fuit ſpecimen, quod cum erudito orbe iuuenis admodum communicauit, quod tamen non minorem ei laudem, quam ſtudioſæ iuuentuti commodum attulit. Hinc ſæpe quoque numero prelo fuit commiſſum, & non tantum aliquoties ſeparatim prodiit, ſed & opuſculis eius iunctim editis inſertum, tandemque operi quoque notiſſimo *de verborum ſignificatione* fuit adiunctum. Quum vero non tantum editiones ſeparatæ omnes fere disparuerint; & opuſcula illa iunctim edita quam rariſſime conſpiciantur; ſed & opus illud de *verborum ſignifica-*


tione

tione comparatu iam haud facile ſit: me gratiam nonnullam initurum eſſe ſperaui, ſi opuſculum hocce ſeparatim recuſum cupidæ legum iuuentuti (quorum eo magis intereſt, illud vbiuis æquo pretio obuium eſſe, quo minus eo carere poſſunt in iure ſolide tractando) offerrem.

Non vero officio me meo ſatisfeciſſe putaſſem, ſi prelo tantum denuo commiſiſſem opuſculum hocce per ſe vtiliſſimum, niſi ſimul illud ita adornaſſem, vt multo iam commodiori vſui eſſe queat. Hinc quid in noua hac editione præſtiterim, paucis accipe.

Prima mea cura fuit, vt ipſe contextus quam emendatisſimus ederetur: Et quia opus per varias editiones multis deformatum mendis fuerat, id præcipue operam dedi, vt variarum editionum collatione menda illa, quantum fieri potuit, tollerentur. Interdum quoque, vbi per omnes, quas vidi, editiones menda erant propagata, ex coniectura emendationes admittere debui, quod raro tamen factum, & nonniſi in maniſeſtiſſimis erratis. Deinde id quoque inprimis operam dedi, vt loca veterum auctorum & legum recte & ſecundum optimas nouiſſimasque editiones adducerentur: qua quidem in re multum me tædii deuoraſſe, quilibet ex collatione huius cum prioribus editionibus facile perſpiciet. Porro & Græcorum ſcriptorum locis interpretationes Latinas, pro more huius ſeculi, quo Græca non ab omnibus iis, qui iurisprudentiæ operam nauant, intelliguntur, ex optimis interpretibus ſubiunxi. Denique breues quoque obſeruationes addendas eſſe exiſtimaui, in quibus partim ea, quæ perperam ab auctore tradita videbantur, emendaui, partim ea, quæ nimis conciſe expoſita, ſuppleui, aliaque ſcitu haud indigna; nec iniucunda explicaui. Id tamen operam ſimul dedi, ne annotationes meæ in molem quandam excreſcerent, aut ipſum opuſculum prægrauarent. Hinc breuitati vbique ſtudui, & a vulgaribus, aut vbiuis obuiis, quantum fieri potuit, abſtinui: ſtudioſæ tamen iuuentuti (in cuius

gratiam præcipue præsentem suscepi laborem) viam simul ostendi, vbi argumenta, ab auctore breuiter tractata, latius explicata inuenire possent. Et quia quædam adhuc, postquam opus prelo iam fuit commissum, haud prætermittenda obseruaui, (vt in quotidiana lectione accidere solet) ea quoque sub titulo *addendorum & emendandorum* in fine addere volui. Tandem tribus etiam verbis indicare debeo, me Indicem quoque accuratum operi adiunxisse. Vnicum est, quod adhuc opto, vt & typographus, & corrector, (nam ipse ob nimiam loci distantiam correctioni præesse haud potui) suo non desint officio, vt opusculum quam emendatissimum in publicum prodeat. Sic enim firmiter persuasum habeo, ex opere hoc vtilissimo multo maius, quam antea, commodum esse redundaturum, & hac quidem ratione laboris me mei fructum longe vberrimum esse consecuturum. Vale L. B. conatibusque meis & in posterum fauere perge. Scribebam Hamburgi Id. Mart. A. C. MDCCXLI.



RENA-

✡ ❃ ✡

RENATO DAILLONIO

EPISCOPO

LVCIONENSI

B. BRISSONIVS S. D.

MAGNAM omnino Iuris ciuilis ſcientia rerum veterum memoriam deſiderat, nec niſi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne ac meretur, explicari poteſt. In quo demonſtrando ſi longiori oratione vtar, tibi tuique ſimilibus, quibus idem mecum probari ſcio, videbor in re minime dubia laborare. Tantum dicam, qui contra ſentiunt, ignorare eos, quibus ex fontibus ius ciuile hauſtum ſit: quod ſi, vti eſt, ex populi Rom. legibus inſtitutisque deſcriptum fateantur, hoc quoque concedant neceſſe eſt, ei qui in Iureconſultorum libris, non dicam cum voluptate, ſed & cum fructu verſari volet, totum rerum Romanarum ſtatum tenendum eſſe. Quarum ignoratione cum peccari perſæpe, multaque in occulto latere cogitarem, mihi animum ad ſcribendum appellenti, viſum eſt ab hac potiſſimum parte initium ducere. Itaque ſelectos quoſdam auctorum noſtrorum locos, quorum ex Antiquitate interpretatio peteretur, in libellum contuli, eumque de amicorum ſententia in manus hominum venire paſſus ſum, vt hoc veluti προοιμίῳ, interim dum ſerium aliquod & legitimum carmen meditor, a literarum ſtudioſis gratiam inirem. Tibi vero vni ex omnibus potiſſimum primas haſce noſtras Proluſiones inſcripſi, qui ita ſacras litteras colis, vt a ciuilibus ſtudiis non abhorreas. In quibus cum te accuratam, a primis ætatis temporibus, operam poſuiſſe ipſe optimus teſtis ſim, iſto tui nominis præſidio aduerſus maleuolorum obtrectationes, quibus ſermonis materiam argumenti nouitas dabit, libellum noſtrum muniendum putaui. Quem etiamnum, quando iacta alea eſt, meque adeo totum tibi commendo atque trado. Leue quidem, ſed tibi non ingratum futurum munus, ſi eo apud te loco fuerit, quo eſſe ſolent, quæ ab optima voluntate proficiſcuntur. Vale Lutetiæ Pariſiorum. Pridie Kal. Iul.

M. D. LVI.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM LIBRI PRIMI.

LIB. II.

Cap.

LIB. III.

LIB. IV.

ADDEN-

ADDENDA
ET
EMENDANDA.

Pag. 2. *lin.* 1. *lege:* a Rutilio.

P. 6. *in not. col.* 1. *lin.* 9. *post:* vulgares, *adde:* siue secundum æram Varronianam.

P. 8. *in not. col.* 1. *lin.* 7. *post:* 166. *seqq. adde: p.* 1066. *seqq. Tom.* VIII. *Thesauri Græuiani.*

P. 9. *in not col.* 1 *lin.* 11. *post:* passim, *adde:* SENECA *Controu.* 1. *num.* 2. *Meretrix vocata es*, ait, *in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus.*

Ibid. lin. 24. post: *Paris.* adde: *Casp. Sagittarius* in libro *de Ianuis vet. cap.* 28. §. 16. qui præter auctoris nostri librum *de iure connubii*, laudat quoque *Casellium Durantium Variar. lib.* 1. *cap.* 2. & 10. & *Ianum Douzam Præcid. ad* Petronium, *lib.* 1 *cap.* 4.

P. 12. *in not. col.* 1. *lin. vlt. adde:* Sellæ gestatoriæ & lecticæ a recentioribus, Græcorum scriptorum interpretibus præsertim, haud raro confunduntur, vt eleganter obseruauit *Iustus Lipsius Elector. lib.* 1. *cap.* 19. qui vtriusque differentias optime explicasse videtur: cui tamen iungendus *Chimentell. de honore bisellii*, *cap.* 24.

P. 13. *in not. col.* 2. *lin.* 5. post: *cap.* 3. *adde:* Plura de hoc ritu legi possunt apud *Gisbert. Cuperum Obseruatt. lib.* III. *cap.* 8.

P. 14. *in not. col.* 1. *lin.* 7. post: *seqq. adde:* Ad hoc caput conferri quoque meretur *Iust. Lipsius Excurs. ad* Tacitum *Annal. lib.* V. *lit.* A.

P. 15. *lin.* 34. *ad verbum:* dicitur, *nota:* Difficultates, quæ circa hunc censum occurrunt, optime expediuisse videtur *Iacob. Perizonius* in peculiari Dissertatione *de Augustea orbis terrarum descriptione*, quæ inter eius *Dissertt. Lugd. Bat.* 1740. in 8uo iunctim editas *Num.* IV. occurrit.

P. 19 *lin.* 28. *ad verbum:* solerent, *nota:* De hoc ritu multæ elegantes obseruationes legi possunt in *Iac. Perizonii* Dissertatione *de ære graui*, quæ inter eius *Dissertt. Lugd. Bat.* 1740. in 8uo iunctim editas *Num.* V. occurrit.

P. 24. *in not. col.* 2. *lin.* 5. pro: *vestigo*, lege: *vertigo.*

Ibid. lin. 11. pro: *Tab.* lege: *Fab.*

P. 25. *lin.* 1. *pro:* lege ex, *lege:* ex lege.

Ibid. in not. col. 2. *lin.* 1. pro: *de Iudiciis Rom.* lege: *de Iurisdictione & Iudiciis Rom.*

Ibid. lin. 3. *post:* possunt, *adde:* Quibus adhuc scriptores *de officiis domus Augustæ* addendi sunt: nec non *Augustini Campiani lib. de officio & potestate Magistratuum*, in fine.

Ibid. lin. 12. *post:* pronunciarent, *adde:* Hinc *cognitionem siue consilio* tanquam rem absurdam & non ferendam proponit CICERO *de lege agrar.* II. *cap.* 13.

P. 26. *in not. col.* 2. *lin. vlt. in fine.* Illis, quæ ibi de adsessoribus differui, vnica adhuc obseruatio addi meretur. Nimirum ipsos se Principes aliquando Magistratibus in consilium tanquam adsessores præbuisse: (exempla vide apud SVETONIVM *in Tib. cap.* 33. & *in Claud. cap.* 12.) quod ideo sine dubio fecerunt, vt specie quadam popularitatis magistratuum sensim potestatem infringerent.

P. 30. *in not. col.* 2. *lin.* 6. *pro:* tam, *lege:* iam.

P. 31. *in not. col.* 2. *lin.* 5. *pro:* IX. *lege:* LX.

P. 35. *lin. vlt.* pro: *cap.* 2. lege: *cap.* 12.

P. 41. *in not. col.* 1. *lin.* 3. *post:* fiebat, *adde:* Hinc eleganter SIDONIVS APOLLINARIS *Epistoll. lib.* 1. *num.* 5. *Iam quidem*, ait, *virgo tradita est, & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia nondum ad mariti domum noua nupta migrauit.* Alias adhuc huius ritus rationes suppeditat *Iacob. Godofredus* in *Comment.* ad L. 6. C. *Theod. de tyronib. Tom.* II. *pag.* 377.

P. 47. *in not. col.* 2. *lin.* 5. *post:* est, *adde:* Plura de Iudice quæstionis legi possunt apud *Gerh. Noodt* in libro *de Iurisd. & Imp. lib.* 11. *cap.* 5.

P. 52. *lin.* 14. pro: *c.* 2. lege: *cap.* 12.

P. 53. *lin.* 3. pro: *de Nerone:* lege: *in vita Neronis.*

Ibid. in not. col. 2. *lin. vlt. in fine adde:* Ex paucis hisce, quæ dixi, facile diiudicari poterit, quatenus *Iacobi Sponii* sententia, quam proposuit *dans les recherches d'antiquité, Dissert.* XXVII, admitti, & cum cæterorum in concordiam redigi possit.

P. 55. *lin* 1. *ad verbum:* Epistolis, *nota:* Est in Operibus IVLIANI *Ep.* 26.

Ibid. lin. 17. ad verba: *Cod. Theod. nota:* Verba huius legis sunt: *Ratio æquitatis exposcit, vt veterum priuilegia Principum circa vos censeamus esse firmanda. Proinde nostræ mansuetudinis sanctione subnixi, securi a molestiis munerum omnium publicorum reliquum tempus ætatis iugiter agitabitis.*

P. 61. *in not. col.* 1. *lin.* 29. *lege:* de quo ex instituto.

Pag.

Pag. 65. *lin.* 18. pro: *cap.* 20. lege: *cap.* 2.

P. 68. *lin.* 28. *pro:* exiſtimen, *lege:* exiſtimem.

P. 71. *in not. col.* 2. *lin.* 6. In *Scholiaſte* HORATII pro *baculis* legendum eſſe *ſacculis* tunc quidem conieci: ſed vulgatam tamen lectionem defendi poſſe deinceps deprehendi, ſi per *baculos* intelligas dolones, de quibus ISIDORVS *Origg.* XVIII. *cap.* 9. ſcribit: *Dolones ſunt vaginæ ligneæ, inter quas latet pugio, ſub baculi ſpecie.*

P. 72. *lin.* 18. particula *in* ſemel tantum eſt legenda.

Ibid. in not. col. 1. *lin.* 2. *pro:* quia: *legendum:* qui.

P. 73. *ad initium* CAP. XIII. *adponatur nota:* Ad hoc caput conferri poteſt *Giſbertus Cuperus Obſeruatt. lib.* III. *cap.* 12. vbi eleganter obſeruat, duplicem veteres ſtatuiſſe furorem, religioſum alium & pium, qui erat vatum; alium a Diis ob ſcelera in pœnam immiſſum.

P. 79. *in not. col.* 2. *lin.* 20. poſt: *v.* 325. *adde:* nec non eundem ad Æneid. II. *v.* 116. & ad Æneid. IV. *v.* 512.

P. 80. *in not. col.* 2. *lin. vlt. in fine adde:* Conferri hac de re poteſt *Nicolai Bergierii* opus eruditiſſimum *de publicis & militaribus Imperii Romani viis, lib.* II. *ſect.* 34. *ſeqq.*

P. 85. *in not. col.* 2. *lin. vlt. in fine adde:* In editione *Helmſtad.* 1663. in 4to. locus ita ſuppletur: *de conſilii ſententia ſeruatam fuiſſe, dum partum edidiſſet.*

P. 97. *in not. col.* 2. *lin. vlt. pro:* irrogabat, *lege:* irrogabant.

P. 98. *in not. col.* 1. *lin.* 4. *poſt:* eſſet, *adde:* Hinc *pœnam ſine prouocatione, animaduerſionem ſine auxilio*, tanquam rem iniquiſſimam exagitat CICERO *de lege agrar.* II. *cap.* 13.

P. 104. *in not. col.* 2. *lin.* 4. poſt: *Coëgi*, *adde:* Sed ad hunc TERENTII locum, vt & ad totum hocce caput, vtiliter conferri poſſunt, quæ diſſerit *Giſbert. Cuperus Obſeruatt. lib.* I. *cap.* 17.

P. 111. *ad initium* CAP. XIII. *adponatur nota:* Conferri ad hoc caput poteſt *Georgii Grenii* liber *de ruſticatione veterum Romanorum*, qui reperitur *Tom.* I. *Theſauri Antiqq. Rom. Sallengrii.*

Ibid. lin. 24. *ad verbum:* diætas, *adponatur nota:* De diæta, ſiue Zeta, vide M. *Velſeri Epiſtolam*, quæ adiecta eſt *Pignorii* Commentario *de ſeruis*: *Georg. Grenii* librum *de villorum ſtructura, cap.* 5 *pag.* 744. *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Sallengr. Turnebi Aduerſar. lib.* XXIV. *cap.* 4. *Cælii Rhodigini Antiqq. Lection. lib.* XII. *cap.* 18.

Ibid. in not. col. 2. *lin. vlt. in fine adde:* Eſt quoque elegans, & quod notari meretur, exemplum apud SVETONIVM *in vita Tiberii, cap.* 35. *Senatori,*

natori, ait, *latum clauum ademit, quum cognouisset, sub Kal. Iulii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in vrbe conduceret.*

Pag. 114. *lin.* 5. post: *lib.* XVI. adde: *cap.* 18.

Ibid. lin. 23. *ad verba:* Prius illud, *adponatur nota:* Sed valde dubito, num ritus ille recte probari possit ex loco VICTORIS (qui auctor libelli *de viris illustribus*) ab auctore adducto: sine dubio enim locus ille ex aliis scriptoribus, qui eandem referunt historiam, de pulsu fascium ad fores est interpretandus. Potest tamen ritus ille ex aliis locis probari, v. g. PETRONII *Satyr. cap.* 30. CLAVDIANI *de Consul. Olybr. & Prob. v.* 233. & *de Consul.* IV. *Honorii*, *v.* 416.

Ibid. lin. 25 post: *cap.* VI. *adde:* siue secundum alias editiones *cap.* VII. secundum editionem vero *Salmasii cap.* I.

Ibid. lin. 26. *ad verbum:* demonstrabo, *adponatur nota:* Quod tamen, quantum scio, non præstitit. Confer interim *Iusti Lipsii Elector. lib.* I. *cap.* 23. *Casp. Sagittarii libr. de Ianuis vet. cap.* 33.

Ibid. in not. col. I. *lin. vlt.* pro: *lib.* XII. lege: *lib.* XXII.

Pag. 116. *in not. col.* I. *lin.* 2. *post verbum:* spectaret, *adde:* Postea tamen forte fortuna in *cap.* VII. huius Orationis verba reperi, quæ auctor sine dubio ante oculos habuit: *Te ædilitiam prætextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse.*

P. 118. *in not. col.* 2. *lin.* 12. *post verbum:* scripserunt, *adde:* Conferri præcipue potest *Rubenius*, qui *lib.* II. *de re vestiaria, capitibus quinque prioribus*, late ac distincte hac de re egit: cum quibus tamen iungenda sunt, quæ differit *Octau. Ferrarius* in *Analectis de re vestiar. cap.* 32. *seqq.* Legi etiam merentur, quæ hac de re affert *Octauius Gentilius* in libro *de Patritiorum origine, varietate, præstantia & iuribus*, edito *Romæ* 1736. 4*to.* qui *lib.* I. *cap. vlt.* de patritiorum indumentis & ornatu egit.

P. 121. *in not. col.* 2. *lin. vlt. in fine adde:* Inprimis vero *Gottfried Mascon* Differt. *de Procuratore Cæsaris*, *Altorf.* 1724. in qua hæc doctrina accuratissime pertractata est.

P. 123. *in not. col.* I. *lin.* 4. *post verbum:* sunt, *adde:* Quorum recentissimus *Erhardus Reusch*, qui *Helmstadii* 1725. peculiare edidit Programma *de populi Romani Quæstoribus, ac potissimum ærariis, eorumque ortu, numero & muniis.*

P. 124. *lin.* 24. *ad verbum:* mentio, *adponatur nota:* Hoc monumentum legi potest tum in *Ioh. Lucii Inscriptt. Dalmaticis*, quæ opusculo *de regno Dalmatiæ* additæ sunt, *pag.* 512. tum in *Gruteri Opere Inscriptt.*

pag.

pag. 360. *num.* 3. Aliud monumentum ex *Iosephi Castalionis Obseruatt. Dec.* 1. *cap.* 1. *pag.* 6. exhibet *Reusch* in Programmate laudato, *pag.* 21.

Pag. 126. *lin.* 28. *Ad initium* CAP. XXI. *adponatur nota*: Ad hoc caput conferri potest *Iosephi Bonn* Dissertatio *de iure & officio fisci Caesarei Procuratoris & Aduocati, Giessae* 1735.

Pag. 132. *in not. col.* 2. *lin.* 5. *pro*: huius, *lege*: praeteriti.

Pag. 135. *lin.* 1. pro: *c.* 7. lege: *lib.* VII.

Ibid. in not. col. 1. *lin. vlt. in fine adde*: Conferri quoque merentur, quae affert *Iac. Raeuardus Coniectan. lib.* III. *cap.* 4. & 11.

Pag. 136. *lin. vlt.* & *Pag.* 137. *lin.* 1. Parenthesis illa, tanquam nota, infra textum poni debuisset.

Pag. 142. *in not. col.* 2. *lin. vlt. in fine adde*: Conferri etiam hac de re meretur *Nic. Bergierii* Opus *de publicis & militaribus Imperii Rom. viis*, *lib.* III. *sect.* 12. ibique eruditae *Henninii obseruationes*, *Tom.* X. *Thes. Antiqq. Rom. Graeuii*: qui commendat inprimis *Bernardi* librum *de Mensura*, *lib.* III, §. 33. *seqq.* Idem laudatus *Bergierius l. c. sect.* 13. *seqq.* & *lib.* IV. *sect.* 39. *seqq.* multa eruditione agit de lapidibus miliariis, praecipue vero de miliario aureo: vbi pariter *Henninii* obseruationes addendae. Ex hisce enim scriptoribus abunde peti possunt, quae ad huius capitis illustrationem pertinent.

Pag. 149. *lin.* 4. *ad verba*: ita scribit, *adponatur nota*: Locum huncce XIPHILINI non de Decurionibus: sed de Senatoribus vrbis Romae, intelligendum esse, putat *Iac. Godofredus in Comm.* ad *L.* 97. *C. Th. de decurion. lib.* XII. *tit.* 1. *Tom.* IV. *Cod. Theod.* pag. 444.

Ibid. lin. 21. deleatur 5.

Pag. 150. *lin.* 1. *pro*: fr aecipere, *lege*: fa recipere.

Pag. 151. *in not. col.* 2. *lin.* 4. *adde*: Idem *Vir Ill.* nuper *Scriptoribus de iure nautico & maritimo*, quos anno praeterito *Halae* vno fasciculo edidit, Praefationem praemisit *de Iurisprudentia diuinarum humanarumque rerum scientia*.

Pag. 153. *lin.* 21. *ad verbum*: obscurius, *adponatur nota*: Immo potius hic locus plane huc non pertinet: non enim agit de mastigophoris, sed de ipso Imperatore, qui tanquam auriga praesides certaminis flagello venerabatur: de quo ritu vide *Franc. Bernh. Ferrarii* librum *de Acclamat. & plausu vet. lib.* II. in fine.

Pag. 154. *in not. col.* 1. *lin.* 3. *pro*: emendatum, *lege*: emendatus

Pag.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 156. *lin.* 13. ad verbum: *transtulerunt*, adponatur *nota*: Locis hisce ab Auctore allatis addi adhuc poteſt locus elegans TACITI *in vita Agric. cap.* 43. nec non *Nouell.* I. *cap.* I.

Ibid. lin. 17. *pro*: pri, *lege*: bri.

Ibid. in not. col. 2. *lin.* 6. *poſt verbum*: inuenies, *adde*: Quibus adhuc addi poſſunt *Iac. Godofredus in Comment.* ad L. 77. D. *de* R. I. & M. *Lyclama Membr. lib.* IV, *cap.* 13. *ſeqq.* qui tamen non vbique ſatis diſtincte & accurate hac de re locutus eſt.

Pag. 157. *lin.* 18. *pro* 19. *lege*: 9.

Pag. 158. *lin.* 24. *pro* XV. *lege* XXV.

* * *

Quoniam in veterum ſcriptorum locis indicandis paginas interdum quoque annotaui, neceſſe erit, vt lectoribus notum faciam, quibusnam illorum ſcriptorum editionibus vſus fuerim.

VARRONIS Opera, *Amſtel.* 1623. *in 8uo.*

Scriptores rei agrariæ, ex editione *VVilh. Gœſii*, *Amſtel.* 1674. *4to.*

ASCONII PEDIANI Commentationes in aliquot M. *Tullii Ciceronis* Orationes, cum notis variorum, *Lugd. Bat.* 1644. *in* 12.

DIONYSII HALICARNASSEI Opera, ex editione *Frid. Sylburgii*, *Lipſiæ* 1691. *fol.*


PLVTARCHI Opera, *Francof.* 1620. *fol. Tom.* II.

ZONARAE Annales, ex editione *Pariſina*, cuius paginæ margini editionis *Venetæ* adſcriptæ ſunt.

DIONIS CASSII Hiſtoriæ Romanæ libri XLVI, ex editione *Iob. Leunclauii*, *Hanou.* 1666. *fol.*



B. BRIS-



B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De modo & altitudine antiquorum ædificiorum, parietumque crassitudine.

IMPERATORES SEVERVS ET ANTONINVS rescripsere, ædificare cuique in suo, & ei balneum superponere licere, dum ne vsitatum altitudinis modum excedat. *l.* 1. *C. de ædific. priu.* Est & apud VLPIANVM scriptum, si quid contra leges, edictaue principum, quæ ad modum ædificiorum facta sunt, fiat, nuntiari nouum opus posse. *l.* 1. §. 17. *nuntiamus. D. de oper. no. nunt.* Ex quo perspicue apparet, fuisse aliquem Romæ ædificiorum altitudini præscriptum modum: qui qualis ante Imperatorum tempora fuerit, certo definire non possum. Habitam certe de ea re

BREVES OBSERVATIONES AD B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM LIBROS IV.

AD LIBRVM I.

CAP. I. Confer ad hoc caput *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 3. §. 7. *Excell. Ottonis lib. de Tutela viarum*, P. III. *cap.* 5. *pag.* 477. *seqq. Lipsii de magnit. Rom. lib.* III. *cap.* 4. *Rauardi Coniect. lib.* III. *cap.* 12.

Rutilio, florenti libera tum Republica, orationem fuisse reperio: qua quid contineretur, vt intelligerem, nondum auctorum lectione sum consecutus. Quod si de Imperatorum constitutionibus quæratur, illud compertum habeo, septuaginta pedibus altius ædes tolli non licuisse: eumque modum ab Augusto primum constitutum, cum ædificiorum crebris ruinis, quibus vrbis aspectus deformabatur, subuenire vellet, quemadmodum a STRABONE *lib.* V. *Geograph. p.* 235. *ed. Casaub.* ita scribitur: πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. *Ruinis quoque subuenturus, nimiam ædificiorum altitudinem sustulit, vetuitque ad vicos publicos altius septuaginta pedibus tollere.* Eaque ratione credo, eum principem integram illam Rutilii, cuius paulo ante memini, orationem in Senatu recitasse: quo magis (ipsa enim TRANQVILLI verba ponam) persuaderet eam rem non a se primo animaduersam, sed antiquis iam tunc curæ fuisse. Secutus aliquo interuallo Augustum Nero, post repressum illud, quo bona pars vrbis conflagrauit, incendium, etiam ædificiorum altitudinem cohibuit, spatiaque dimensus est, vt CORN. TACITVS *lib.* XV. *Annal. c.*43. narrat. Sed quem in ea re modum seruarit, nec Tacitus aperit, nec ego hariolari possum. Vtut sit, Augusti constitutionem postea Traianum renouasse SEX. AVRELIVS VICTOR *Epit.* XIII. auctor est. *Quibus omnibus*, ait, *Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est, statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, & sumtus, si quando talia contingerent, exitiosos.* Atque hæc quidem altitudo hisce temporibus habebatur, vt est re vera, permaxima. Sed animaduertendum est, quod VITRVVIVS *lib.* II. *cap.* 9. refert, in maiestate vrbis & ciuium infinita frequentia innumeras habitationes explicari opus fuisse: & cum tantam multitudinem ad habitandum in vrbe area plana recipere non posset, ad auxilium altitudinis ædificiorum rem ipsam coëgisse deuenire, vt necessario pilis lapideis mœnianisque ac contignationibus alto spatio cœnacula multiplicarentur. Qua de re SENECA *lib.* II. *Controuersiar.* IX. conqueritur. *Tanta*, inquit, *altitudo est ædificiorum, tantaque viarum angustiæ, vt neque aduersus*

REPERIO] Scilicet apud SVETONIVM in vita *Augusti cap.* 89.

VERBA] Quæ loco laudato exstant.

RENOVASSE] Immo Traianus altitudinem ædificiorum adhuc magis coërcuit, quam Augustus, vt cuiuis facile ex locis laudatis apparebit.

ignem

ignem præsidium, neque ex ruinis vllum vllam in partem effugium sit. Hæc de ædium altitudine. Proximum est, vt de crassitudine parietum adscribam, quod VITRVVIVS lib. II. *c.* 8. legibus publicis vetitum fuisse commemorat, maiores crassitudines quam sesquipedales loco communi constitui: cæteros autem parietes, ne spatia angustiora fierent, eadem crassitudine collocari. Latericios vero, nisi displinthii, aut trisplinthii fuissent, sesquipedali crassitudine non potuisse plus quam vnam sustinere contignationem. Confirmat hoc & PLINIVS *lib.* XXXV. *cap.* 14. his verbis: *Romæ*, ait, *non fiunt talia ædificia, quia sesquipedalis paries, non plus, quam vnam contignationem tolerat: cautumque est, ne communis crassior fiat; nec intergerinorum ratio patitur.*

CAP. II.

De legitimo inter vicinas ædes interiici solito spatio.

SVperiori sermoni subiicere placet de vicinarum inter se ædium interuallo nondum patefactum XII. Tabularum caput. Est autem a FESTO POMPEIO *lib.* I. *voc. ambitus*, & ab ISIDORO *lib.* XV. *Etymol. cap. vlt.* traditum, inter vicinorum ædificia spatium, in latitudinem duos pedes & semissem patens, ad circumeundi facultatem, intermitti consueuisse: quod in ANTONINI & VERI rescripto *L.* 14. D. *de seruit. præt. vrban.* significari *Iacobus Cuiacius*, vir Iurisprudentiæ in antiquam dignitatem restituendæ natus, *lib.* 1. *Obseruatio. cap.* 4. adnotauit. Hoc vero spatium *Ambitum* antiquitus appellatum iidem auctores scribunt. Quod vocabulum ex XII. Tab. manare ex eo dilucide colligitur, quod VARRO *lib.* IV. *de lingua Lat. c.* 4. *pag.* 9. XII. Tab. interpretes ambitum parietum, circuitum interpretari, refert: antiquo plane loquendi more, quo, *Am*, pro, *Circum*, vsurpatum aliis exemplis ex eodem *Varrone*, *Festo*, & *Macrobio*, vt cæteros minorum gentium taceam, planum fieri potest. Et ita ambitum accipiendum constat apud CICERON. in *Topic. c.* 4. cum ait: *Vt si ita respondeas, quoniam P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit,*

CAP. II. Confer ad hoc cap. *III.* *Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 3. §. 4.

ADNOTAVIT] Adde eiusdem *Obseruat. lib.* XXIII. *cap.* 4. & *lib.* XIX. *cap.* 21.

quantum parietis communis tegendi causa tectum proiiceretur. Et apud VITRVVIVM *lib.* I. *cap.* 1. in illo loco. *Iura quoque nota habeat oportet ea, quæ necessaria sunt ædificiis communibus parietum ad ambitum.* Sic & in inscriptione Romæ in Sadoleti hortis effossa:

INTER DVOS
PARIETES
AMBITVS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Iam duos pedes cum semisse, sestertium pedem in XII. Tab. appellari, VOLVSIVS MAETIANVS in *lib.* de *Asse*, scribit, cuius verba in vulgatis codicibus corrupta facile quisque sic emendanda esse videt. *Lex etiam* XII. *Tab. argumento est, in qua duo pedes & semis sestertius pes vocatur.* Quo verbo dupondium & semissem veteres intellexisse, PLINIVS quoque *lib.* XXXIII. *cap.* 3. cum FESTO *lib.* XVII. *voc. sestertii* tradit: eadem forma, qua & Trientertium & Besalterum dixisse eos idem FESTVS auctor est. Subductis itaque omnibus, ambitum XII. Tab. circumscriptum fuisse relinquitur, verbis, vt mihi quidem verisimile fit, ita conceptis; AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO. Cæterum vt recentiorum Imperatorum ad ædificiorum ambitum pertinentes constitutiones non prætermittam, ab horreis publicis priuatorum ædes centum pedibus, a cæteris vero publicis ædificiis XV. pedum spatio remoueri Constantino primum placuit. *l.* 4. & *l.* 46. *de oper. publ.* in *C. Th.* Theodosio deinde satis visum etiam ab horreis publicis priuatorum ædificia XV. pedum interuallo disiungi. *l.* 9. *si cui. l.* 11. *mœniana. C. de ædif. priuat.* qui & hoc in *d. l. mœniana.* constituit, vt priuatorum inter se mœniana, decem pedes, a publicis vero operibus, XV. distent. Quam, vt opinor, legem Gundebaldus rex in legibus Burgundionum intellexit, cum ita cauet: *De seruitute luminis vel aeris similiter constitutum, vt inter priuatorum fabricas decem pedes, inter publicas,* XV. *dimittantur, secundum legem Theodosii.*

CONCEPTIS] Est *Lex* I. *Tab.* VIII. iuxta *Iac. Gothofredum*, quem vide, vt & alios ad hanc legem interpretes. Veterem hunc ædificandi modum reduxisse videtur Nero. vid. TACITVS *Annal. lib.* XV. *cap.* 43.

CAP. III.

CAP. III.

Explicatur, quod Vlpianus ſcribit, multæ animaduerſionem hodie pecuniariam eſſe: & de modo æſtimationeque multarum.

MVltæ & pœnæ differentias enumerans VLPIANVS, multam definit eſſe ſpecialis peccati coërcitionem: cuius animaduerſio hodie pecuniaria ſit, *l.* 131. *aliud eſt fraus.* §. 1. D. *de verb ſign.* Quem locum accuratius intuens, deprehendi, non temere verbum, *Hodie*, adiectum eſſe, propterea, quod alia olim fuerit multæ animaduerſio. Nec enim pecuniaria primum, ſed vt ISIDOR. ex *lib.* II. M. TVLLII *de Repub.* refert, olim multa ouium & boum erat, quod tunc eſſet res in pecore. Id quod a PLINIO quoque *lib.* XVIII. *cap.* 3. traditur, confirmaturque ex eo quod PLVTARCHVS in *Publicola*, *pag.* 103. contumacibus, qui Conſulibus non paruiſſent, conſtitutam fuiſſe narrat ἀπειθίας ζημίαν, βοῦν πέντε καὶ δυοῖν προβάτοιν ἀξίαν, *inobedientiæ multam quinque boum & duorum ouium.* Qua de re quæ plenius ex bonorum auctorum libris didici, proferre non pigebit. Primum erit, quod ex *Varrone* GELLIVS *lib.* XI. *cap.* 1. commemorat, his verbis concipi ſolitam multæ dictionem: *Marco Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei vnum ouem multam dico.* Quæ verba & apud NONIVM MARC. in verbo, *Oues, lib.* III. *num.* 152. ſed cum vitio, quod ex *Gellio* facile tolli poſſit, referuntur. Atque ea ita ſollemnia verba erant, vt non aliter iuſta multæ dictio haberetur, niſi in qua ouis maſculino genere efferretur. Etiam illud ſi bubus & ouibus ſimul multa dicebatur, obſeruari ſolitum PLINIVS in eo, de quo proxime memini, loco, docet,

CAP. III. Quædam ad hoc cap. pertinentia affert auctor in *Opere de Form. Solenn. lib.* V. *p.* 587. *ſeq.*

ISIDOR.] In libro X. *Origg.* ſiue *Etymol.* voce *locuples*: qui locus paullum mendoſus ex NONIO *lib.* I. *num.* 198. ita reſtituendus eſt: *Locuples, quaſi locis plenus, & poſſeſſionum plurimarum poſſeſſor, quemadmodum docet* TVLLIVS *in libro II. de republica: multæque dictione ouium & boum, quod tunc erat res in pecoribus* (ſiue *in pecore*) *& in locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi & locupletes vocabantur.* Hinc etiam peculatus crimen nomen accepiſſe, indicat VARRO *de lingua Lat. lib.* IV. *pag.* 27. his verbis: *Peculatum publicum furtum, vt quum pecore diceretur multa, & id eſſet coactum in publicum, ſi erat auerſum.* Adde FESTVM voc. *peculatus.*

vt ne bouem prius quam ouem nominaret, qui indiceret multam. Cæterum quod ad modum multarum attinet, ex SEX. POMP. FESTO *lib.* XI. *v. multam.* & *lib.* XIIII. *v. peculatus.* notandum est, non licuisse quondam pluribus quam XXX. bubus & duobus ouibus quemquam multare: legeque id ita Titum Menenium Lanatum, & Pub. Sextium Capitolinum Consules sanxisse. Quod & ab eodem auctore *lib.* XIII. *v. ouibus* traditum fuisse coniicio, cuius verba hodie concisa nullum bonum sensum habent, & ex aliis supra scriptis locis supplenda sunt. Est & in hac parte non leue mendum apud DIONYS. HALICAR. *lib.* X. *pag.* 674. transpositione verborum commissum. Sic enim vulgo scriptum est: *τὸ μέντοι τίμημα ὀυκ ἐπ' αὐτοῖς ζημιοῦσιν ὁπόσον εἶναι δοκεῖ κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα.* *Multæ tamen modus non multantium arbitrio relictus est, sed ab ipsis præfinitus, ne scilicet multa grauissima duos boues & triginta oues excederet.* Cum tamen *δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας*, *duos oues & triginta boues*, scribendum esse nemo non ex FESTO, cui GELLIVS, *Varronis* auctoritate nixus, consentit, intelligat. Plane *Festo* HALICARNASSEVS in Consulum nomine, qui multarum modum statuerunt, refragatur: & forte, Græcus homo (Latini enim eiusque probatissimi auctoris apud me pluris est fides) in fraudem ex eo impulsus est, quod illi, quibus legem de modo multarum tribuit, Consules legem de æstimatione multarum tulisse dicantur, bienniοque post eos Coss. id est, anno ab Vrbe condita circiter trecentesimo, vt Capitolinus lapis probat, P. Sestius Q. F. Vibi N. Capitolinus & Tit. Menenius Lanatus Consulatum gessere. Pecoralis

GESSERE] Duæ præcipue leges de multa latæ sunt, vna de modo; altera de æstimatione multarum. Vna vocatur *Menenia Sextia*, a T. Menenio & P. Sextio Coss. qui consulatum gesserunt A. V. C. 302. Altera *Ateria Tarpeia*, ab A. Aterio & Sp. Tarpeio Coss. qui A. V. C. 300. consulatum gesserunt secundum fastos vulgares. Quænam vero lex modum; quænam æstimationem multarum præscripserit, id ob veterum dissensum definiri haud facile potest. Legi ea de re possunt scriptores de legibus Romanorum & interpretes ad loca veterum laudata. Ad legem Ateriam Tarpeiam singularem Dissertationem scripsisse *Ioh. Koblium* ex annotationibus *Gronouii* ad *Gellium* didici, quæ an rem hanc obscuram extricauerit, quum ea mihi non sit ad manus, dicere nequeo. Addo interim adhuc, nec ipsum *Dionysium* sibi satis constare; nam *lib.* IX. *pag.* 586. ad A. V. C. 278. Sp. Seruilio & A. Virginio Coss. narrat, iam tum taxatum fuisse ouium ac boum numerum, vltra quem magistratibus non

vero

vero multæ æstimatio, postquam signato ære populus vti cœpit, facta est, oue denis assibus, boue, centenis æstimato, quemadmodum FESTVS *lib.* I. *v. æstimata.* & *lib.* XI. & *lib.* XIII. & *lib.* XIIII. *vocc. cit.* tradit. PLVTARCHVS in *Valerio Public. pag.* 103. ἦν δὲ τιμὴ μὲν προβατίου ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δὲ ἑκατόν. οὔπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. *Erat autem precium ouis, oboli decem; bouis, centum. Nondum enim eo tempore infrequenti vsu apud Romanos erat pecunia, sed pecoris & iumenti copia diuites censebantur.* Constat autem huiusmodi æstimationem lege factam. De legis nomine video dubitari. Eam FESTVS Tarpeiam, GELLIVS Ateriam vocat. Non dubito autem, quin a Spurio Tarpeio Montanea & A. Aterio, Fontilena rogata sit, quos simul Consulatum gessisse præter LIVIVM *lib.* III. *c.* 31. Capitolinus lapis testatur. Quamquam, vt hoc obiter attingam, in alterius ex Coss. nomine edendo mira sit inter antiquos auctores, scripturæ vitio, vt existimo, dissensio. Nam quem LIVIVS *l. c.* & PLINIVS *lib.* VII. *cap.* 28. A. Æternium nominant, eundem GELLIVS *lib.* II. *cap.* 11. & SOLINVS *Collectaneor. cap.* V. A. Thermum appellant. HALICARNASSEVS autem A. Terminium. Quæ omnia nomina falsa & mendosa sunt, eorumque loco verum & germanum Aterii nomen ex Capitolino lapide, quo certius monumentum nullum habemus, reponendum est. Vnde legem Ateriam dixit GELLIVS: qui ea ratione in concordiam cum FESTO adducitur, quando ab vtroque ex his Consulibus, a quibus rogata est, legem nomen accipere nihil prohibeat. Plus negotii LIVIVS facessit, qui legem de multarum æstimatione a L. Papyrio Crasso, & L. Iulio Coss. latam *lib.* IIII. *c.* 30. tradit, nisi renouatores fuisse eos, non primos auctores dixerimus. Post eas certe leges suprema multa trium millium & XX. assium fuit, vt est a FESTO *lib.* XI. scriptum, cum antea X. millibus æris & XV. millibus quosdam multatos apud HALICAR. *lib.* X. *pag.* 674. & LIVIVM *lib.* III. *cap.* 31. legamus. Verumenimuero etiam æsti-

liceret a priuatis multam exigere. Immo iam Valerium Poplicolam modum multis imposuisse, ex loco *Plutarchi* supra adducto apparet: vt adeo varias hac de re leges apud Romanos exstitisse, easque haud raro ab ipsis veteribus confusas fuisse, omnino credibile sit.

LEGAMVS] Immo & postea. Sed auctor confundit multas, quas magistratus iure suo irrogare potuerunt, cum multis ab ipso populo irrogatis. Priores per leges ad certum modum; posteriores vero ad nullum certum modum adstrictæ fuerunt.

ſtimatione conſtituta non deſiit multa ouibus atque bubus ex vetere inſtituto dici: quod ſuis etiamnum temporibus in vſu fuiſſe VARRO *lib.* II. *de re Ruſtic. cap.* I. indicat. PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Ex qua conſuetudine*, inquit, *multa legum antiquarum pecore conſtat etiam Romæ.* Sed eſt paulatim vetuſtus mos deſuetudine obliteratus, obtinuitque multam pecunia ac nummis dici: vt bene VLPIANVS multæ animaduerſionem hodie pecuniariam eſſe ſcripſerit. Eodemque modo animaduertere eſt, aliis plerisque Pandectarum locis verbo, *Hodie*, vetuſti moris iurisque abrogationem ſignificari. Vt ecce in *l.* 13. *hodie. D. de pœn. Hodie*, ait lex, *licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem.* Merito, *Hodie.* Nam olim minuendæ vel augendæ pœnæ, quæ lege impoſita eſſet, poteſtatem Quæſitor non habebat. Verum hodie, ipſo veterum iudiciorum ordine ſublato, pœnæ arbitrio cognitorum extra ordinem infliguntur. *l.* 4. §. 1. *D. ad l. Iul. pecul. l.* 7. §. *vlt. D. ad l. Iul. repet. l.* 15. *in ſenatuſconſultum.* §. 1. *D. ad Turpillia. l.* 8. *ordo. D. de public. iudic.* Sic & in *l.* 32. *hodie. D. ad l. Corn. de falſ.* & *l.* 3. *D. ad l. Iul. pecul.* & *l.* 1. *D. ad l. Iuliam amb.* & *l.* 3. §. *penult. ad l. Corn. de ſicar.* verbum *Hodie* accipi liquet. Similiter & in *l.* 7. §. 19. *D. de pact. Hodie tamen*, ait VLPIANVS, *ita demum pactio huiuſmodi creditoribus obeſt*, &c. *hodie*, id eſt, poſt reſcriptum D. Marci. de quo in *l.* 10. *reſcriptum. D. eo tit.*

CAP. IV.

Declaratur Vlpiani locus, & de diuerſo matronarum meretricumque veſtitu.

VLPIANVS ſcribit, ſi quis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minus peccare videtur. Multo minus, ſi me-

DICI] In gratiam ſcilicet moris antiqui; licet non amplius in ipſis pecoribus, ſed per æſtimationem potius præſtarentur.

CAP. IV. Ad hoc cap. conferri poſſunt Auctoris *lib. de Iure Connub. p.* 166. *ſeqq.* CASP. BARTHII *Aduerſar. lib.* XLII. *cap.* 17. HENR. SALMVTH *Additamenta ad* Pancirollum *de rebus deperd. tit. de habitu Imp. pag.* 412. ſeq. THOM. DEMPSTERI *Paralipom. ad* Roſini *Antiqq. lib.* V. *cap.* 32. *p. m.* 902. *ſeqq.* & *c.* 35. *p. m.* 924. *ſeqq.* IVSTI LIPSII *Excurſ. ad* Taciti *Annal. lib.* II. *lit.* a. *Ill.* HEINECCII *Syntagma Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit.* 18. §. 53. *ſeqq.* Necnon ſcriptores de veſtimentis veterum Romanorum. Ad hoc vero caput melius intel-

retricia

retricia veste feminæ, non matrisfam. vestitæ fuissent. *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 15. *si quis virgines D. de iniur.* Quæ verba matronalem habitum a meritricio diuersum fuisse indicant, vt vel sola vestis differentia a meretricibus honestæ matresfamilias discerni ac dignosci possent. Id quod ad *Vlpiani* sententiam accommodatissime TERTVLLIANVS ostendit in *lib. de Cultu femin. c.* 12. his verbis: *Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si qua leges a maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certe seculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque feminis vsque ad errorem dignoscendi coæquat.* Idem in *lib. de Pallio. c.* 4. *Conuerte*, ait, *ad feminas: habes spectare, quod Cæcinna Seuerus grauiter Senatui impressit, Matronas sine stola in publico. Denique Lentuli Auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna: quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, velut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam de-*

ligendum, sciendum est, *meretrices* apud Romanos proprie omnes eas dictas esse, quæ palam corpore quæstum facerent, a merendo: (vid. Lexica, & Auctoris *Opus de V. S. h. v.*) in sensu propriissimo siue eminentiori vero eas, quæ a lenonibus prostituebantur: (vid. OVIDIVS *Amor. lib.* I. *El.* 10. *v.* 21. *seqq.*) immo & eas, quæ a lenonibus ad hoc habebantur, licet nondum pudicitiam profligassent. (vid. PLAVTI *Pan.* passim.) Turpius adhuc esse *prostibuli*, quam *meretricis* nomen, indicat NONIVS *lib.* V. *n.* 8. Prostibula enim, vt tradit, proprie dicta sunt, quod ante stabulum stent, quæstus diurni & nocturni causa. Solebant enim miseræ istæ mulierculæ nudæ in lupanari prostare, in sua quæque cella, cui titulus erat præscriptus, vt docent *Ramirez de Prado ad* Martialem *lib.* 1. *Epigr.* 35. *p.* 77. *seq.* & *lib.* 11. *Ep.* 53. *p.* 167. & *Desid. Heraldus* ad eundem *lib.* XI. *Ep.* 47. *p.* 100. *edit. Paris.* Omnes vero, quæ impune turpem hunc quæstum exercere volebant, nomen apud Ædiles profiteri debebant. (vid. TACITVS *Annal. lib.* II. *cap.* 85. & conf. *Lipsius* & *Heineccius* locis indicatis.) Tolerabantur enim apud Romanos tanquam malum necessarium: vnde eleganter AVGVSTINVS *de Ordine lib.* 1. *c.* 12. *Aufer*, ait, *meretrices de rebus humanis, & turbaueris omnia libidinibus.* Pro turpibus tamen personis habebantur, (*L.* 3. *D. si a parente manumiss.*) adeoque iure ac dignitate matronali exsoluebantur, vt loquitur SVETONIVS in *Tiber. cap.* 35. Hinc merito externo quoque habitu a matronis secernebantur. Notandum vero, non solas meretrices proprie sic dictas a matronis, & quoad ius ac dignitatem, & quoad externum habitum, distinctas fuisse: sed meretricibus hac in parte omnes turpes mulieres, in quas stuprum committi non poterat, & a quarum nuptiis omnes ingenuos homines arcebat lex Iulia & Papia Poppæa, æquiparatas fuisse: quænam vero illæ sint, docet *Ill. Heineccius* in *Comment.* ad dictam legem, *lib.* II. *cap.* 1. §. 11. *p.* 130. *seqq.* Adde *B. Ioh. Guil. Hoffmanni Comment. ad L. Iul. de Adult. cap.* 4. §. 3. *seqq. p.* 76. *seqq.*

suefecerant. Sed iam ex antiquitatis veluti parietinis eruere tentemus, quod propositis locis aliquid lucis adferat. Inuenio autem honestas mulieres stola & palla indutas fuisse, quemadmodum NONIVS MARC. in *cap*.XIV. *de genere vestim.num*.6.7. scribit: & VLPIANVS significat in *l*.23.*vestis*.§.2.*muliebria. D. de auro arg. legat*. Vnde *matronalem stolam* VALERIVS *lib*. VI. *cap*. I. dixit, & *stolas atq;ornatus matronales* VITRVVIVS *l*.I.*cap*.I. coniunxit. Sed & FESTVS *lib*. XI. *matronas* tradit appellatas eas fere, *quibus stolas habendi ius esset*. Nam meretricibus turpibusque & inhonestis mulieribus stolarum vsum legibus interdictum fuisse, ex eo *Tertulliani*, quem initio adscripsi, loco coniici potest. Quamobrem MARTIALIS *lib*.I. *Ep*.36.*v*.8. inquit,

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Erat vero stola oblonga & ad talos vsque demittebatur, vt HORATIVS *lib*. I. *Sermon. sat*. II. *v*. 29. & 99. indicat. Cuius etiam interpres ACRON illo verborum circuitu, quae eodem loco *v*. 28. leguntur:

-Sunt qui nolunt tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste,

matronas designari scribit, quae stola vtebantur ad imos pedes demissa, cuius infimam partem instita ambiebat. Atque in hoc ipso vel maximum inter muliebres stolas & viriles togas discrimen intercedebat, quas prioribus oris infra genua paullum, posterioribus vsque ad medios poplites peruenisse QVINTILIANVS *lib*. XI. *cap*. *vlt*. declarat, illud quoque oratori cauendum monens, ne veste longiore vtatur, quoniam mulierum sit longa veste vti. Praeterea vittis crines honestae matresfamilias, contra atque meretrices, coërcebant, vt a SERVIO in VII. *lib*. *Æneid*. *v*. 403. notatur. Hinc OVIDIVS *lib*. I. *de Arte amand*. *v*. 31.

Este procul vittae tenues insigne pudoris,
Quaeque tegis medios instita longa pedes.

Et *lib*. II. *Trist*. *v*. 251.

Ecquid ab hac omnes rigide summouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaque vitta vetat?

Idem *lib*. III. *de Ponto*, *epist*. 3. *ad Maximum*: *v*.51.

Scripsimus hac illis, quarum nec vitta ligatos

At-

Attingit crines, nec stola longa pedes.

Sic & TIBVLLVS *lib.* I. *Eleg.* VI. *v.* 73.

Sit modo casta doce, quamuis nec vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Igitur vittis crine redimitæ, vesteque talari indutæ, honestæ mulieres in publicum procedebant. Succinctioribus contra, & quæ ad viriles proxime accederent, meretrices vtebantur: quemadmodum NONIVS *eodem capite* XIV. *n.* 16. sentit. Quam vestium matronalium & meretriciarum differentiam non obscure HORAT. *l.* I. *Sermo. sat.* II. *v.* 83. *sqq.* expressit, cum propter demissam ad talos vestem in matronis facile crurum vitia tegi ait, quæ in meretricibus latere non possunt ob vestium breuitatem. Idem & IVVENALIS *satyr.* VI. *v.* 443. comprobat, eloquentiam matronis non esse adfectandam inquiens, meretricibusque relinquendam, quæ cruretenus medio tunicas succingant. ISIDORVS autem *lib.* XIX. *Etymol. cap.* XXV. meretriciæ vestis signum fuisse pallium lineum, quo & matronæ in adulterio deprehensæ induerentur, scribit. Quod vt ego aliis defectus testimoniis pro certo adfirmare non possum, ita exploratum habeo, adulterii damnatas vestem mutasse, depositaque stola togam, vt a matronis discernerentur, sum-

TIBVLLVS] Ad quem locum legi merentur elegantes *Iani Broukhusii* annotationes. Est quoque elegans, qui notari meretur, locus apud OVIDIVM *Fastor. lib.* IV. *v.* 133.

Rite Deam (Venerem) *colitis Latiæ matresque nurusque,*
Et vos, quis vittæ longaque vestis abest.

SCRIBIT] Verba eius sunt: *Amiculum est meretricum pallium lineum. Hoc apud veteres matronæ in adulterio deprehensæ induebantur, vt in tali amiculo potius, quam in stola pollucrent pudicitiam. Erat enim hoc apud veteres signum meretriciæ vestis; nunc in Hispania honestatis.*

SVMSISSE] Quamuis enim antiquissimis temporibus *toga* commune vtriusque sexus esset vestimentum: (vid. NONIVS *cap.* XIV. *n.* 24. ASCONIVS *ad* Ciceronis *Accusat. in Verrem. lib.* I. *cap.* 44. *p.* 99. SERVIVS *ad* Virgilii *Æneid.* I. *v.* 286.) postea tamen virile proprium factum est, & in sequiori sexu iis tantum relictum, quæ matronalibus honoribus iuribusque, adeoque etiam stolæ iure, carebant. Quarum numero, vt supra indicaui, omnes illæ; in quas stuprum non committebatur, & a quarum nuptiis ingenuos arcebat lex Papia Poppæa, censebantur. Ergo de adulterii damnatis ex lege Iulia non est dubitandum, neque accedere possum opinioni B. *Hoffmanni in Comment. ad L. Iuliam de adult. cap.* 4. §. 10. *p.* 92. qui hisce Domitianum togæ vsum primum iniunxisse existimat. Quamuis concedam, locum HORATII ab illo adductum (*lib.* I. *Sat.* 2. *v.* 64.) non tam de adulterii condemnatis, quam de meretricibus, esse intelligendum: vt & *v.* 82. eiusdem *Sat.*

— — *atque etiam melius persæpe togatæ.*

 sisse.

fiſſe. Hoc me ACRON in illius *Horatiani* verſus interpretatione docuit, quo matronæ, id eſt honeſtæ mulieri, togata, id eſt impudica opponitur. Verſus ita habet: *lib.* I. *Sat.* 2. *v.* 63.

quid inter-
Eſt in matrona, ancilla, peccesue togata?

Vnde IVVENALIS adulteram perſtringens *Sat.* II. v. 70.

Non ſumet, ait, *damnata togam.*

Clarius hoc MARTIALIS duobus locis demonſtrat. Vnus eſt *lib.* II. *Epigr.* 39.

Coccina famoſa donas & ianthina mœchæ.
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Alter eſt *lib.* x. *Ep.* 52. in hæc verba:

Thetin viderat in toga ſpadonem:
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

Hoc amplius, vt ceteras matronalis meretriciique ornatus differentias perſequar, ſellis lecticisque honeſtiores matronæ geſtabantur, quarum vſum probroſis feminis à Domitiano interdictum TRANQVILLVS *in eius vita. c.* 8. narrat. DION. *lib.* LX. *pag.* 665. πρότερόν τε ἄρα ὅτι Αὔγουστος, καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες καὶ ἔτι νῦν νομίζουσιν, ἐστὶν ὅτε ἐφέροντο. *Quum antea Auguſtus & Tiberius lecticis interdum eiusmodi geſtarentur, quibus adhuc noſtro tempore mulieres vtuntur.* Idem alias *lib.* LVII. *p.* 612. ἔν τε σκιμποδίῳ κατεστέγῳ, ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. *In lectica operta, cuiusmodi ſenatorum vxoribus in vſu ſunt, in ſenatum inferri iuſſit.* SENECA in *lib. de Remed. fortuit.* *Quam in patente ſella cir-*

ACRON) Verba eius ſunt: *Matronæ, quæ a maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant, ſublata ſtola, propter ignominiam. Toga autem meretrici apta: ita enim proſtare ſolebant cum pullis togis, vt diſcernerentur a matronis: & ideo, quæ adulterii damnatæ fuerant, hac veſte vtebantur.*

LECTICISQVE) Adde his pilenta & carpenta, quibus etiam ſolæ matronæ vtebantur iuxta SERVIVM *ad Æneid. lib.* VIII *v.* 666. ISIDORVM *Origg. lib.* XX. *c.* 12. (qui ſua ex Seruio hauſit) & FESTVM *voc. pilentum.*

NARRAT) Iam Iulium Cæſarem promiſcuum lecticarum vſum ſuſtuliſſe, ex eodem SVETONIO in eius vita, *cap.* 43. patet. Immo iam ante Domitiani tempora matronas ſolas lecticis vſas fuiſſe, haud obſcure colligi poteſt ex HORATIO *Sat lib.* I. *ſat.* 2. *v.* 98. Domitianus ergo morem antiquum, ſeculi licentia corruptum, reſtituiſſe tantum videtur: quamuis aliter exiſtimet laudatus *Hoffmannus ad L. Iul. de adulr. cap.* 9. § 5. *p.* 174.

FORTVIT.) Sunt hæc excerpta, a ſtudioſis olim ex variis Senecæ libris

cum-

cumlatam per vrbem populus ab omni parte æque vt maritus inspexerit. APVLEIVS *lib.* XI. *de Asino aur.* *Vidi & vrsam mansuem, cultu matronali sella vehebatur.* Accedat etiam in argumentum *l.* 49. *item legato. D. de legat. lib.* III. Sed enim lapsis ad mollitiem moribus, de prisca pudoris & modestiæ magistra seueritate multum consuetudo deflexit. Iam TERTVLLIANVS pessum ire pudicitiam conquerebatur, quod stolis sellisque eieratis in publico mulieres versarentur, quasi in semetipsas lenocinantes, quo facilius de plano conueniri possent. Versa etiam tandem est in fastum, quæ pro pudicitiæ velamento concessa lectica fuerat. Hic ne ceterarum quoque gentium laudabilia instituta, quorum nobis ad imitandum exempla proponi vtile est, prætereantur, admonendi sumus, Spartæ solis meretricibus floridas vestes & mundum aureum, vt CLEMENS ALEX. *lib.* III. *Pædag.* auctor est, gestare licuisse. In matronis id vitio datum. Floridas plane vestes etiam Athenìensium legibus fuisse meretricibus, quo a reliquis feminis dinoscerentur, attributas, SVIDAS in verbo *ἑταίρας* indicat. Verum vt ad VLPIANVM tandem aliquando redeam, iniuriarum postulari posse non videtur, qui meretricia veste indutas matronas blando sermone adtemptauit, libidinisue causa adsectatus est, quippe iusto errore lapsus, cuius ipsæ iniuriam passæ mulieres, causam præbuere, quæ se cum eiusmodi ornatu contra ciuitatis morem publico committere non debuerunt. Nec valde absimilis, & ex eodem fere fonte ducta illa quæstio est, quam QVINTILIANVS *lib.* VII. *cap.* III. proponit, an qui in lupanari cum aliena vxore fuerit deprehensus, adulterii teneatur? Nam & hic iusti erroris excusatione adulterii crimen deprecari potest.

CAP. V.

De vetusto bonorum, liberorumque profitendorum more.

PRofessionum duo in libris nostris genera memorantur, quæ nobis initio huius sermonis, vitandæ confusionis causa distinguen-

collecta, quæ ad calcem plurimarum Senecæ operum editionum leguntur.

TERTVLLIANVS] Auctor intelligit locum in libro *de Pallio*, cap. 4. vbi hæc occurrunt verba: *At nunc in semetipsas len[illegible]nando, quo planius adeantur, & [illegible], & supparum, & crepidulam, & caliendrum, ipsas quoque iam lecticas & sellas, queis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, eierauere.*

INDICAT] Adde ARTEMIDORVM lib. II cap. 3.

CAP. V. De natalium professione

da sunt. Aliæ enim Natales, aliæ Censuales professiones appellantur. *l.* 6. *statum. C. de fide instrum. l. vlt. C. sine censu vel reliq.* Illis natos sibi liberos apud acta parentes profitebantur: his censum, patrimoniumque edebant. De priore specie accipiendæ sunt *l.* 16. *etiam. D. de probatio. l.* 14. *non nudis. C. eod. titul. l.* 15. *nec omissa. l.* 22. *parentes. l.* 24. *interrogatam. l.* 39. *liberos. C. de liber. cau.* Ex eoque vetere liberorum profitendorum more ductum est, quod *Scæuola* in *l.* 29. *Imperatores.* §. 1. *D. de probatio.* refert, mulierum grauidam repudiatam filium absente marito vt spurium in actis professam esse. Huiusmodi vero professiones a Marco Antonino Philosopho primum institutas IVL. CAPITOLINVS, *c.* 9. ita scribit: *Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarii Saturni vnumquemque ciuium natos sibi liberos profiteri, intra diem tricesimum, nomine imposito. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos de originibus idem fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii, vt si forte aliquis in prouincia natus, causam liberalem diceret, testationes inde ferret.* Quamquam etiam ante Marci ætatem clarorum virorum ortus in acta publica relatos, ex SVETONIO in *Tiber. cap.* V. & in *Calig. cap.* VIII. intelligimus. Sed & huiusmodi professionum speciem quandam Seruius Tullus præmonstrauerat, qui in singulorum liberorum recens natorum capita aliquid Iunonis Lucinæ templo inferri, patresque in censu habendo, non facultates modo, sed suum quoque, & vxoris, & liberorum nomen, ætatemque profiteri instituit: quemadmodum DIONYSIVS HALICARNASS. *lib.* IV. *pag.* 220. *seqq.* auctor est. Ex Antonini vero constitutione

confer HENR. DODWELLI *Prælectiones Camden. Præl.* II. § 10 *seqq.* & *Ill.* HEINECCI *Comment. ad L. Iul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 8. §. 6. *p.* 113. *seqq.* De censuali professione vide eiusdem v. *Ill. Synt. Antiqq. Rom* lib. 1. tit. 16. & *Append. ad lib.* 1. §. 51 *seqq.*

PRIMVM] M. Antoninum non primum natalium professionem introduxisse in aperto est, & paullo post ab ipso auctore nostro agnoscitur. Quæritur ergo, quid noui hic Imperator per legem suam introduxerit? Dodwellus existimat, Imperatorem primum diem tricesimum, a nominis impositione, (ita enim locum *Capitolini* interpretatur) tanquam certum terminum ad quem natalium professioni præfixisse. Heineccius vero putat, illum hanc professionem primum liberalium causarum gratia fieri voluisse. Iudicium sit penes lectorem.

INSTITVIT] Prius Seruii Tullii institutum aliquo modo ad natalium professionem referri potest: posterius vero ad censualem potius professionem pertinet. Nam ad res cuiusque in censum deferendas pertinebant etiam serui, liberi, vxor, quæ in manus conuenerat.

apud

apud præfectum ærarii fieri, actisque adscribi liberorum professiones consueuisse, idem ipse CAPITOLINVS in *Gordian. c.* 4. indicat: *Iam illud*, inquit, *satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini & signo illustrauit, cum apud præfectum ærarii more Romæ professus filium publicis actis nomen eius insereret.* APVLEIVS *Apolog.* II. *Pater eius natum sibi filium more ceterorum professus est.* Tabulæ eius partim ærario publico, partim domi adseruabantur. Cui adde quod SERVIVS in illud *Virgil.* II. Georgic. *v.* 502.

- - *aut populi tabularia vidit.*

In templo Saturni (quod ærarii custodiæ adtributum, & vt *Plutarch.* in *Problemat. num.* 42. ait, φυλακτήριον τῶν συμβολαίων erat) solita reponi acta, scribit, quæ parentes liberis susceptis faciebant. Ex quo IVVENALIS *satyr.* IX. *v.* 84.

Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri: foribus suspende coronas.
Iam pater es.

Venio nunc ad censuales professiones, quæ Romæ iam inde a Seruii Tulli temporibus singulis lustris fiebant. De his mentio habetur in *l. vlt.* §. 16. *D. de munerib. & bonor.* & *l.* 7. *censualis. C. de donatio. & apud* SICVLVM FLACC. in *lib. de Conditio. agr.* & HYGENVM in *lib. de Limitib. agror.* non vno loco. Earum vero forma aliquatenus exprimitur in *l.* 4. *forma censuali. D. de censib.* Ad quam adludens APVLEIVS *Apolog.* I. *Quod si*, inquit, *hac exempla nibili putas, ac me non ad causam agendam, verum ad censum differendum vocasti, profiteor mibi & patri meo relictum a patre* HS *vicies*, & quæ sequuntur. In censum porro vna cum fortunis familiæ quisque suæ capita deferebat. Erat enim census καὶ τῶν οὐσιῶν, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπογραφή. Etiam eorum, qui censebantur, ætas adscribebatur, adeo, vt ex censualibus tabulis ætatum nonnunquam probationes peterentur. PLINIVS denique *lib.* VII. *c.* 48. ex censu longissima quorumdam vitæ spatia exscripta profert. Atque hoc modo Augusti edicto totus orbis Romanus paullo ante Christi natiuitatem descriptus, eique censui agendo in Iudæa Quirinus, vel, vt alii appellant, Cyrenius præfuisse dicitur. Quod a Beato LVCA *Euangelii* sui *secundo cap.* & a IOSIPPO *lib.* XVIII. *Antiquit. Iudaic. c.* I. & a SVIDA in verbo ἀπογραφή relatum est. Vnde TERTVLLIANVS lib. IIII. *aduersus Marcion. cap.* 7. *Et tamen*, ait, *quomodo in Synagogam potuit admitti tam repentinus, tam igno-*

ignotus, *cuius nemo adhuc certus de tribu*, *de populo*, *de domo*, *de censu denique Augusti*, *quem testem fidelissimum dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt.* Ceterum prisci illius professionum natalium moris exemplum quoddam in Gallia optimus princeps Franciscus constitutione anno M. D. XXXIX. edita retulit.

CAP. VI.

Quorsum Paulus lanionis instrumento trutinam contineri dixit.

MIrantur nonnulli in lanionis instrumento pondera trutinasque a PAVLO poni in *l.* 18. *cum de lanionis. D. de instru. & instr. leg.* ignorantes nimirum olim carnem pondere venisse, vt & in aliquibus Galliæ partibus ad hunc diem mansit: ideoque lanionibus necessarias ad eam appendendam trutinas fuisse. Quod LAMPRIDIVS in *Alexand. Seu. cap.* 22. perspicue ostendit: *Cum vilitatem*, ait, *populus Rom. ab eo peteret*, *non quidem vilitatem proposuit*, *sed iussit*, *ne quis suminatam occideret*, *ne quis lactantem*, *ne quis vaccam*, *ne quis damalionem. Tantumque intra biennium, vel prope annum, porcinæ carnis fuit & bubulæ*, *vt cum fuisset octo minutalis libra*, *ad duos vnumque utriusque carnis libra redigeretur.* Hoc idem apud Græcos factitatum PLVTARCHVS *lib.* II. *Symposiac. cap. vlt.* indicat: ἡ δὲ, inquit, *εἰς μερίδας αὐτὴ χρεωδαιτία τὴν κοινωνίαν ἀναιροῦσα πολλὰ δεῖπνα ποιεῖ, καὶ πολλοὺς δειπνοῦντας, οὐδένα δὲ σύνδειπνον οὐδενὸς, ὅταν ὥσπερ ἀπὸ κρεωπολικῆς τραπέζης σταθμῷ λαβὼν ἕκαστος μοῖραν ἑαυτῷ πρόθηται.* *At ista carnium in portiones diuisio sublata communione multas facit cœnas*, *multos cœnantes*, *neminem alterius conuiuam*: *quando veluti a lanii mensa pondere acceptam quiuis partem sibi proponit.* Atque ut cætera omnia omittam, belle hunc locum illustrabit promptum ex antiquis monumentis Edictum, quod Romæ extat in hæc verba:

RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE, CONSVETVDINE MICANDI SVMMOTA, SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDERE, QVAM DIGITIS CONCLVDENTIBVS TRA-

EDICTVM] Legi potest hoc edictum in GRVTERI *Opere Inscriptt. pag.* DCCXLVII. *n.* 6. & in Auctoris *Opere de Form. Sol. lib.* III. *p.* 291. Egregie vero illustrauit *Ill. Heineccius* in *Dissert. de iure princ. circa commerciorum libert. tuend.* §. 11. *p.* 13.

DERE,

DERE, VT APPENSO PECORE, CAPITE, PEDIBVS ET SEVO, LACTANTE ET SVBGVLARI LANIO CEDENTIBVS, RELIQVA CARO CVM PELLE ET INTERRANEIS PROFICIAT VENDITORI, SVB CONSPECTV PVBLICO FIDE PONDERIS COMPROBATA, VT QVANTVM CARO OCCISI PECORIS APPENDAT, ET EMTOR NORIT, ET VENDITOR, COMMODIS OMNIBVS ET PRAEDA DAMNATA, QVAM TRIBVNVS OFFICIVM, CANCELLARIVS ET SCRIBA, CAPERE CONSVEVERANT DE PECVARIIS. QVAE FORMA INTERDICTI ET DISPOSITIONIS SVB GLADII PERICVLO PERPETVO CVSTODIENDA MANDATVR.

Refertur vero hoc in Inſcriptionibus Antiquis, titulo Edicti Aproniani. Et forte, nihil enim præter coniecturam habeo, ab eo Aproniano propoſitum fuit, quem Valentiniano imperante Vrbis præfecturam geſſiſſe AMMIANVS MARCELL. *lib.* XXVI. *cap.* 3. teſtis eſt. Coniecturam meam illa ratio adiuuat, quod cura carnis ad præfectum Vrbis pertineret. *l.* 1. §. 11. *cura carnis. D. de offic. præfect. Vrb.*

CAP. VII.

De mancipationis ſollemnibus.

DVo fuere proprii rerum abalienandarum iure Quiritum comparati modi, citra quos legitimum in accipientem dominium transferri non poterat, Mancipatio, & Ceſſio in iure. Nec enim vel à domino res tradita, ſi neque mancipata, neque in iu-

CAP. VII. Ad totum hoc caput vtiliter conferri poſſunt, quæ dixi in *Tract.* mea *de Teſtamentifact. cap.* III §. 8-21. *incl.* vbi copioſiſſime de mancipatione egi. Adde Auctoris librum de *Formul. Sol.* VI. *p.* 513.

MODI) Res breuiter ita concipienda eſt. Dominium erat vel *naturale,* ſiue *bonitarium;* vel *ciuile,* ſiue *Quiritarium.* Prius modis quibuscunque iuſtis adquiri poterat: poſterius certis tantum modis iure ciuili præſcriptis. Modi iſti erant vel *vniuerſales,* quibus vniuerſitas bonorum adquirebatur; vel *ſingulares,* quibus ſingulæ res adquirebantur. Res vero erant vel *mancipi,* vel *nec mancipi.* Res *nec mancipi* etiam per nudam traditionem legitime adquiri poterant: res vero *mancipi* non: ſed quando ab vno in alium dominium plenum transferendum, tunc vel mancipatio, vel ceſſio in iure accedere debebat.

RES) *mancipi* ſcilicet, vt ex antea dictis apparet.

re cessa esset, accipientis ante ex iure Quiritum fiebat, quam per tempus lege statutum possessa vsucaptaque esset. Vsucapione plane accedente, quæ ipsa quoque, HORATIO teste, quasdam res mancipat, quod traditioni deerat supplebatur: interim in bonis tantum habere, qui rem ita acceperant, dicebantur, vt ab VLPIANO in *Institutio. tit.* I. §. 16. exponitur. Hac de causa non res modo, quæ mancipi erant, mancipatione alienari, sed & liberorum emancipationes, adoptionesque, per imaginariam mancipationis sollemnitatem expediri consueuerant: quemadmodum CAIVS *lib.* I. *Instit. tit.* VI. §. 3. & FESTVS POMP. *lib.* V. *v. emancipati.* & GELLIVS *lib.* V. cap. XIX. tradunt. Ex quo SVETONII in *Augusto c.* 64. locus interpretationem accipit, in quo ita scriptum est: *Adoptauit & Lucium & Gaium domi emtos per æs & libram à patre.* Hereditates quoque in heredes per mancipationem transferebantur. Eaque erant per æs & libram facta testamenta, quorum in VLPIANI, IVSTINIANI*que Institutionibus* fit mentio. Vnde per æs & libram heres apud CICERONEM *lib.* II. *de Leg.* qui & familiæ emtor appellabatur. Cuius rei causam cum PLVTARCHVS non intelligeret, sic in *lib. de Sera numin. vind. pag.* 550. de Romanis loquens scripsit: ὅταν δὲ δια-

ESSET] Nam vsucapio erat modus adquirendi dominium Quiritarium subsidiarius.

TESTE] Locus exstat *Epistol. lib.* II. *Ep.* 2. *v.* 158.

Si proprium est, quod quis libra mercatus & ære est,
Quædam, consultis sic credas, mancipat vsus.

DICEBANTVR] Alter vero retinebat *nudum ius Quiritium*, de quo infra *lib.* IV. *cap.* 22.

INSTITVTIO] Per *Vlpiani Institutiones* auctor intelligit Fragmenta illa, quæ in *Schultingii Iurisprudentia Anteiustinianea* exstant: quod semel hic monuisse sufficit.

LIBERORVM] Ratio est, quia liberi, in patria potestate constituti, perinde ac serui, rebus mancipi adcensebantur.

TRANSFEREBANTVR]. Imaginariam scilicet, quæ non statim transferret dominium Quiritarium, sed post mortem demum testatoris. Sed de hocce testamenti genere copiose egi in *Tract. mea de Testamentifact. cap.* III.

DE LEG.] Intelligit auctor sine dubio loca *cap.* 20. & 21. vbi tamen Cicero non familiæ emtorem (cuius ibi nulla mentio) vocat heredem per æs & libram: sed ex iure pontificio docet, quomodo legatarius, qui sacris adstringi nolebat, per æs & libram iis liberari potuerit. Sed hæc loca latius explicaui in *Appendice* ad *Tract.* meam *de Testamentifactione.*

INTELLIGERET] Plutarchum ab ignorantiæ accusatione vindicauit B. *Thomasius* in *Dissert. de sensu legis decemviral. testament.* §. 37. Ceterum de familiæ emtore copiose egi in *Tract.* mea *de testamentif. cap.* III. §. 19. *seqq.*

θήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρονόμους, ἕτεροι δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας, ὃ δοκεῖ παράλογον εἶναι. *Quando vero testamenta condunt, alii scribuntur heredes, alteri vero vendunt bona; quod videtur a ratione alienum esse.* Mancipationis porro sollemnia BOETHIVS in *Topic. Cicero lib.* III. ex antiquorum Iurisconsultorum libris ita exponit: *Mancipatio*, ait, *imaginaria quædam venditio est, quod ipsum ius proprium Romanorum est ciuium. Eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus, Ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipio accipit, æs tenens ita dicit:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITVM MEVM ESSE DICO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. *Deinde ære percutit libram; idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco.* Quod posterius a VARRONE *lib.* VIII. *de lingua Lat. pag.* 118. præstringitur, cum ait: *Pro assibus nonnumquam æs dicebant antiqui: a quo dicimus assem tenentes:* HOC ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. VLPIANVS in *Institutionib. tit.* XIX. §. 3. *Mancipatio propria species alienationis est & rerum mancipi, eaque fit certis verbis, libripende & quinque testibus præsentibus.* Quod & HORATIVS significat, cum ait: *lib.* II. *Epistol.* 2. *v.* 158.

Si proprium est, quod quis libra mercatus & ære est.

Ex quo & in emancipationibus, & in testamentis, quæ per mancipationem familiæ fiebant, quinque testes ciues Romanos cum libripende adhibitos, supra positi auctorum loci memorant. Atque hanc libræ adhibendæ sollemnitatem ab eo profectam esse nemo nescit, quod veteres infectum argentum appendere, non numerare solerent. PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* III. *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc Libella dicitur, & dupondius appendebatur assis. Quare Æris grauis pœna dicta, & adhuc Expensa in rationibus dicuntur. Item impendia, & dependere. Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, Libripendes di-*

LIBRIS] Ex CAII scilicet *Institutionum libro* I.

ÆRE EST] Ad quem locum PORPHYRION ita commentatur: *Verba sunt iuris, ait, quibus omnis emtio confirmatur, quum per libram expensa pecunia; per æs ipsum pretium demonstratur: vnde & libripens huiusmodi testificationis adhiberi solet.*

 cuntur.

cuntur. qua consuetudine & in his emtionibus, quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur. Cuius rei vestigium ad sua vsque tempora in æde Saturni mansisse, VARRO circa finem *lib.* IIII. *de lingua Latina pag.* 43. scribit, in qua trutina propter pensuram posita extabat. Porro adscribi solita fuisse in veteribus mancupiis hæc verba comperio: RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO. quibus monebatur emtor asse libram tangere. VARRO *lib.* IIII. *de lingua Latin. cap.* 34. *pag.* 39. ÆS *Raudus dictum: ex eo in veteribus mancupiis scriptum*: RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO. FESTVS *lib.* XVI. *v. rodus.* in eiusdem verbi explicatione, *Vulgus quidem*, ait, *in vsu habuit, non modo pro ære infecto, vt Lucilius, cum ait: Plumbi paxillum Rodus limina texam; sed etiam pro signato: cum dicitur in mancipando*: RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO, *id est, asse tangito libram.* Rauduseuli autem verbo etiam CICERO *epist.* VIII. *lib.* IV. *ad Attic.* & *epist. penult. lib.* VI. & *epist.* II. *lib.* VII. vsus est. VALERIVS *lib.* V. *cap.* VI. *Cuius testandæ rei gratia capitis effigies æreæ portæ, qua excesserat, conclusa est, dictaque Rauduscu-lana, quod olim Rauda æra dicebantur.*

CAP. VIII.

Quales olim emerentur venderenturque Nummi.

LEge Cornelia de Falsis, quemadmodum VLPIANVS scribit, exprimebatur, ne quis nummos stanneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet. *l.* 9. *§.* 2. *D. ad legem Corneliam de falsis.* Quod legis caput absurdum scio plerisque visum iri, quibus nouum videbitur nummos, quibus merx ipsa æstimatur, mercis vice fungi. Ego didici, hoc ad peregrinos nummos, Daricos puta, Philippos, tetrodrachmum Atticum, siclos, & alios id genus esse referendum, quos cæterarum rerum exemplo in emtionem deduci solitos, VOLVS. MAETIANVS in *lib. de Asse & partibus eius* indicat. *At peregrinus*, ait, *nummus loco mercis, vt nunc tetrachmum & drachma habebatur.* Hoc autem tetrachmum,

CAP. VIII. Totum hoc caput more suo exscripsit *Dionys. Godofredus* ad *l.* 9. *§.* 1. *D. ad L. Cornel. de fals.* quem totum fere hoc opusculum contraxisse, & ita in notas suas ad Corpus iuris transtulisse, animaduerti, quod semel hic monuisse sufficit.

vt

vt hoc obiter addam, tetradrachmum a CASSIO *lib.* XII. *Epist. Ciceron. ad Famil. Ep.* 13. & a POLLVCE *lib.* IX. *Onomast. cap.* 6. appellatur. Similiter & victoriatum nummum, qui a victoriæ signo impresso id nomen accepit, priusquam lege Clodia percussus esset, ex Illyrico aduectum, mercisque loco habitum, PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* III. refert. Cuius nummi VARRO *lib.* VIII. *pag.* 118. & *lib.* IX. *pag.* 134. *de lingua Latin.* CICERO *pro M. Fonteio. c.* 5. QVINTILIANVS *lib.* VI. *cap.* IV. TERTVLLIANVS *in lib. de Virginibus velandis*, *cap.* 13. & idem PLINIVS *lib.* XX. *cap. vlt.* & *lib.* XXIII. *cap.* VI. meminere. Solidos quoque veterum Principum effigie formatos sua ætate venisse CONSTANTINVS in *l.* 1. *C. de vet. numis. pot. lib.* XI. *indicat.*

CAP. IX.

Notata in veterum cautionibus vox, Recte.

Veterum cautiones magna arte diligentiaque compositas, vt etiam superuacaneis multis clausulis abundarent, facile est ex Aquiliana stipulatione, & ea, quæ in Papiniani auditorio lecta est, cautione intelligere. Inter cætera autem vsitata earum verba dandi faciendique promissionibus vocem RECTE addere solitos obseruaui. Quod ego hoc capite exemplis planum faciam. SCÆVOLA in *l.* 122. *qui Romæ.* §. 1. *Callimachus*, *D.* de *Verb. oblig. Eaque recte sibi dari fieri sic interroganti Sticho seruo L. Titii promisit Callimachus.* PAPINIANVS in *l.* 11. *reos.* §. 2. *D. de Duob. re. Tot aureos recte dari stipulatus est Iulius Carpus.* PAVLVS in *l.* 40. *lecta. D. Si cert. pet. Eaque proba recte dari kalendis futuris stipulatus est*, *&c.* CATO *de re Rust. cap.* CXXXXVI. *Recte hac dari fierique, satisque dari domino, aut cui iusserit, promittito, satisque da-*

CAP. IX. Ad hoc cap. conferri potest Auctoris Opus de *Form. Solenn. lib.* VI. *p.* 571. *seq.* & *lib.* II. *p.* 197. *seq.* & de *Verb. Signif. voc. recte:* vbi alia quoque exempla reperies.

ABVNDARENT] Verum non semper superuacaneum est, quod nobis primo intuitu ita videtur: plerumque enim, si exacte examinaueris vocabula veterum solemnia, ea non inania esse deprehendes, sed consultissimam habere rationem. Sed auctorem nostrum ita scripsisse non mirum est, quippe qui magis in colligendis veterum formulis, quam in iis, secundum vim ac potestatem earum, explicandis occupatus fuit. Confer interim *Ill. van Bynkershoek lib. ad L. lecta. D. de reb. credit. in Opusc. Tom.* 1. *p.* 15. *& p.* 19. *seqq.*

to arbitratu domini. VARRO etiam priſcam formulam recenſens *lib.* II. *de re Ruſtic. cap.* II. *Sanas recte eſſe, habereque recte licere, hæc ſic recte fieri ſpondes?* Inuenimus & hæc verba in ſtipulationibus poſita: *Eam rem recte reſtitui*, vbi vt & in clauſula *Recte defendi*, verbum *Recte* pro viri boni arbitrio eſt: *l.* 73. *hæc verba in ſtipulatione. D. de Verb. ſign. l.* 5. *iam tamen.* §. 3. *nunc videamus. l.* 17. *ex clauſula. l.* 18. *vir bonus. D. iudicatum ſolui. l.* 63. *recte. D. de iudiciis. l.* 5. *hæc autem.* §. 3. *recte. D. Ex quib. cauſ. in poſſeſſionem.* Eſt & illa in libris noſtris cautio: *His rebus recte præſtari. l.* 19. *ipſi quoque. D. de Rei vindicatio. l.* 21 *redhibere.* §. *pen. D. de Ædilicio edicto.* Cuius poteſtatem explicat VLPIANVS in *l.* 71 *aliud.* §. *vlt. D. de Ver. ſignif.* Ita *Recte cauere* in *l.* 2. *D. de vſufructu ear. rer.* & apud PLINIVM *lib.* x. *Epiſtol.* 62. Item *Recte promittere* in *l. penult. D. de Tranſactio. Recte ire agere* in *l.* 20. *ſi mihi. D. de ſeruitutib. ruſtic. præd. Palam recte pronuntiare* in *l.* 1. §. 1. & *l.* 38. *Ædiles aiunt. D. de Ædilicio edicto.* Nec omittenda eſt & illa veteribus familiaris, & in re iudiciaria perſæpe vſurpata locutio, *Recte atque ordine facere*, vt in Senatuſconſulto Velleiano: *Recte atque ordine facturos, ad quos de ea re in iure aditum erit. l.* 2. *D. ad Senatuſconſ. Velleia.* quæ duo etiam coniunguntur in *l.* 27. *diui.* §. 1. *recte. D. de Liberali cauſ. l.* 4. *obſeruare.* §. 4 *recte. D. de Officio proconſ.* Et apud CICERONEM *pro Quintio*, & *Philipp.* v. *c.* 13. & in oratione Cæſaris, quæ eſt apud SALLVSTIVM *in Catilinæ bello*, *c.* 51. & alias perſæpe.

CAP. X.

De aqua Equis ſpargi ſolita, & Agitatoribus quædam.

SCio quæri qui & quales ſint, quos VLPIANVS ſcribit aquam equis ſpargere, in *l.* 4. *D. de His qui notant. infam.* Nam plerique nodum in ſcirpo quærentes, inuolucri aliquid illis verbis contineri exiſtimant, quod nobis antiquitatis ignoratio obſcurum reddat. Ego vero, quod & verba ipſa palam ſonant, eos ſignificari credo, qui Circenſibus deſeruientes, equos curſu incaleſcentes frigida perfundebant, quo paulùlum refocillati alacrius curſum

cursum repeterent. Cuius rei mihi indicium aliquod SEX. POMP. FESTVS *lib.* XII v. *nasiterna*, facit, qui *Nasiternam* genus esse vasis aquarii ansati & patentis scribit, quale est quo equi perfundi solent. Huius autem vasis & VARRO *lib.* I. *de Re rustic. c.* 22. & NON. MARCELL. XV. 25. & FVLGENTIVS in libello *de obscuris vocibus ad Calcid. num.* 27. meminere. Caeterum quod eodem loco VLPIANVS ait, agitatores famosos non esse, in dubitationem a THEOPHILO adducitur, qui inter famosas personas ἡνίοχον numerat, quem aurigam agitatoremue interpretari licet. Cui & κυνηγέτην coniungit, eum, vt existimo, intelligens, qui ludo venatorio operas suas locat, aut in arena honorari se patitur. *l.* 8. *aut damnum.* §. *pen. D. de Poenis.* Quo modo & venatorem apud VEGETIVM *lib.* II. *cap.* XXIV. interpretor. Nam qui virtutis caussa, vel etiam mercede, feras extra arenam venatur, nota caret. *l.* 1. §. 6. *bestias. D. de Postul.* Sed quod ad aurigas attinet, in famosis eos nemo Vlpiano repugnante iure numerauerit, cum & laudi virtutique duci hoc exercitationis genus solitum, historiarum monimenta testentur, & ex nobilissima quoque iuuentute amplissimoque ordine in circum nonnullos aurigas productos, SVETONIVS in *Augusto cap.* 43. & in *Caligula cap.* 18. narret. Itaque ex eorum, quibus vixit, temporum moribus potius, quam ex prudentum definitione aurigas Theophilus inter infames collocauit.

CAP. XI.

Explicata l. vlt. C. de Emancipatio. & de veteri Emancipationum Manumissionumque sollemnitate.

DIsplicere sibi in emancipationibus vetustas imaginariarum venditionum & iniuriosorum ῥαπισμάτων sollemnitates, IVSTI-

REPETERENT] Equos in ludis circensibus, non refocillandi, sed lustrandi potius caussa, aqua aspersos fuisse, existimant *Phil. Rubenius Elector. lib.* II. *cap.* 18. & *Gerb. Noodt* in *Comment.* ad *Pand. lib.* III. *tit.* 13. *p.* 76.

MORIBVS] Post introductam scilicet religionem christianam spectaculorum istorum honos cuiluit, vid. l. 4. *C. de spectacul.* & conf. *Ill. Heineccii Comm. ad L. Iul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* I. §. 7. *p.* 122.

CAP. XI. Quae ad hoc caput dici possunt, omnia iam sunt vulgaria, & vel ex compendiis antiquitatum satis nota. Legi praecipue a tyronibus potest *Ill. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* I. *tit.* 5. & *tit.* 12.

NIA-

NIANVS profitetur in l. *vlt. C. de emancipat.* Quod quemadmodum olim ſe haberet, intelligi nihilominus attinet. Tam enim antiquum ius in hæc ſtudia incumbentibus, quam nouum tenendum eſt. Sciendum eſt autem inſtar ſeruorum filiosfamilias venundari manumittique ſolitos, nec ſemel tantum, ſed & iterum ac tertio, quemadmodum CAIVS *lib.* I. *Inſtitution. tit.* VI. §. 3. tradit, adumbrata venditionis ſpecie fiduciario patri mancipari, quo ſcilicet patriæ poteſtatis nexu penitus liberarentur, a qua poſt trinam demum venditionem abſolutio ex regiis legibus contingebat. Hoc modo cum in imaginariam ſeruilem cauſam, vt & a PAVLO in *l.* 3. §. 1. *D. de Cap. deminut.* ſcriptum eſt, deducerentur, qui per emancipationem patris poteſtate exibant, colaphis quoque præterea in ea ſollemnitate peragenda cædebantur, quod in *d. l. vlt.* & in *Nouel. Conſtitution.* LXXXI. *præfat.* IVSTINIANVS ſignificat. Nam & hoc in ſeruorum manumiſſione factum ISIDORVS ex quopiam bono auctore *lib.* IX. *Etymolog. cap.* IV. refert. Quibus & illud adde, vt reliqua manumiſſionum ſollemnia complectar, quod SEX. POMPEIVS FESTVS *lib.* XI. *v. manumitti.* ſcribit, dominum eius ſerui, quem ad libertatem perducere volebat, caput aut aliud membrum tenentem dixiſſe: *hunc hominem liberum eſſe volo*, ſtatimque eum manumiſiſſe. Quæ forte verba HERMOGENIANVS intelligit in *l.* 23. *manumiſſio. D. de Manum. vind.* Præterea vero eis, quibus plena libertas dabatur, vindictam, lictoris virgam, imponi ſolitam PLVTARCHVS in *lib de ſera numinis vindicta*, *pag.* 550. & PERSIVS *ſatyra* V. *v.* 88. ſignificant,

TRADIT] Quem locum tamen ANIANVS, ius Gothorum cum Romanorum iure miſcens, miſere interpolauit: vt a me notatum eſt in *Tract.* de *Teſtamentif. cap.* III. §. 14. *p.* 90. *ſeq.*

LEGIBVS] In XII. *Tabb.* poſtea relatis: vid. *Dionyſ. Hal. lib.* II. *pag.* 97. & *Tab.* IV. apud *Iac. Godofredum* in IV. *fontibus iuris.*

REFERT] His quidem verbis: *Manumiſſus dicitur, quaſi manu emiſſus. Apud veteres enim, quando manu mittebant, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant: vnde & manumiſſi dicti, eo quod de manu mitterentur.* Quæ deſumta ſunt ex veteri PERSII ſcholiaſte, qui vulgo *Cornutus* vocatur, (ex quo & alia quædam illum hauſiſſe animaduerti) ad *Sat.* V. *v.* 75. vbi verba: *quibus vna Quiritem veſtigo facit*, ita explicat: *Quia quoties manumittebant eos, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant, vnde manumiſſio dicta, quod manu eius mitteretur.* Hinc elegans iocus Tiberii Imp. ad atrienſem ſuum, apud PHÆDRVM *lib.* II. *Tab.* 5. in fine: *Non multum egiſti, & opera nequitquam peris: Multo maiores alapæ mecum veneunt.*

ſine

fine cuius impofitione Imperatorem lege ex Augufti folo verbo liberum facere eum, quem manumitrit, a PAVLO traditur in *l.* 14. *apud eum.* §. 1. *D. de Manum.* Circumagebantur deinde & vertebantur ferui, quod & eadem fatyra PERSIVS, *v.* 78. & SENECA epiftola VIII. *lib.* I. *ad Lucilium*, & *lib.* II. *Controuerfiarum* oftendunt, ac denique rafo capite pileum accipiebant. Id quod ad exemplum eorum, qui naue fracta falui euaferant, NONIO MARCELLO *lib.* XII. *num.* 38. inftitutum placet. Mihi an ab hoc more mos ille ductus fit, dubitanti, probabilis illius inftitutionis ratio reddi poffe videtur, quod qui libertate mutabantur, tanquam noui homines fierent, ita crinem mutabant, quod apud Athenienfes quoque feruatum SVIDAS in verbo ἀνδραποδώδη τρίχα memorat. Extremum illud erit, libertate donatos nouum patroni nomen affumfiffe, fuoque, quod vnicum antea habuiffe eos *lex.* 9. *Cum precum. C. de Liberali caufa*, indicat, vna cum prænomine, adiunxiffe. Quo alludens PERSIVS *Sat. ead. v.* 78.

Verterit, ait, *hunc dominus*, *momento turbinis*, *exit*
Marcus Dama. Sed hæc hactenus.

CAP. XII.

Vetus de Adfefforibus conftitutio cum aliquot ad eam pertinentibus locis explicata.

A Principibus magiftratibusque olim in confilium iuris ftudiofi adhibebantur. L. 29. *D. de Legat.* 2. *l.* 5. *an manumittere.*

AVGVSTI] Per legem Augufti intelligo notiffimam illam legem regiam, quæ & *auguftum priuilegium*, & *lex imperii* vocatur in L. VII. §. 14. *C. de caduc. toll.* & L. 3. C. de *teftam.*

ADIVNXISSE] Auctor paullo obfcurius loquitur. Liberti patroni prænomen & nomen gentilitium adfumebant; vetuftum vero feruile nomen tanquam cognomen adiiciebant: cuius rei exemplum præbet notiffimus ille Ciceronis feruus, *Tiro*, qui manumiffus vocabatur *M. Tullius Tiro.* Conf. infra *lib.* II. *cap.* 14.

CAP. XII. De adfefforibus tum fcriptores *de Iudiciis Rom.* tum interpretes ad *tit.* D. & C. *de adfefforibus* confuli poffunt. Operæ tamen pretium erit, vt pauca quædam de iis generalia hoc loco annotemus. Primo quidem fciendum eft, confuetudinem fuiffe apud Romanos, vt omnes illi, qui ius dicerent, vel iudicarent, fiue id publica, fiue priuata auctoritate facerent, adhiberent aliquos in confilium, ex quorum fententia caufa cognita deinde pronuntiarent. Hoc faciebant patres familias, quando tanquam iudices aut magiftratus domeftici (vt eos vocat SENECA *Controu.* II. 3. & *de Benefic. lib.* III. *cap.*

D. de Mau. vind. l. 3. §. 1. *D. de Minor.* XXV. *an. l.* 1. *D. de Offic. adseff.* & hoc *adfidere* appellabant. *l.* 9. *metum.* §. 3. *sed ex facto. D. Quod metus causa.* SVETONIVS in *Tiberio cap.* XXXIII. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, adsidebatque mixtim, vel ex aduerso in parte primori.* Nec vrbanis modo magistratibus, sed & prouinciarum rectoribus, vt ex LAMPRIDIO in *Alexandro Seu. cap.* 46. apparet, sui erant adsessores: de quibus, quo sanctius integriusque ius diceretur, antiquitus constitutum fuisse traditur, vt ne cui in sua prouincia vltra quatuor menses sine speciali Principis beneficio liceret adsidere. Cuius constitutionis sanciendæ auctorem SPARTIANVS *Pescen-*

II.) de seruis, liberis & vxore cognoscerent. (vid. DIONYSIVS HALICARN. *lib.* II. *pag.* 95. *seq.* VALERIVS MAX. *lib.* V. *cap.* 8. & 9. SENECA *de Clement. lib.* I. *cap.* 15. GELLIVS *lib.* X. *cap.* 23. TACITVS *Annal. lib.* XIII. *c.* 32.) Hoc etiam faciebant arbitri priuati, siue, vt eos vocat CICERO *pro Cæc. cap.* 2. disceptatores domestici: cuius rei elegans exemplum vide apud PLINIVM *lib.* V. *Epistol.* 1. Hoc olim iam (vt ad publicas personas transeam) fecisse Reges in iudicando nullus dubito, & haud obscure quoque indicat LIVIVS *lib.* I. *cap.* 49. Quid ergo mirandum, si idem institutum postea sequerentur magistratus iudicesue? Notandum vero porro est, eos, qui magistratibus in iure dicundo aderant, duplicis generis fuisse. Alii enim publica auctoritate tanquam ordinarii eorum adsessores erant constituti: in vrbe scilicet decemuiri stlitibus iudicandis; in prouinciis viginti recuperatores. (vid. VLPIAN. *Fragm. tit.* 1. §. 13. & conf. *Ill. Heineccii Synt. Antiqq. lib.* IV. tit. 6. §. 9.) Alii erant priuati, ICti scilicet, (vid. CICERO *Topic. cap.* 17.) siue iuris studiosi, vt vocantur in *L.* 1. *D. de adseff.* De his tantum, non de prioribus, hoc loco *sermo* est. Vocantur hi plerumque *Adsessores*; item *Consessores*; (vid. CICERO *de Finib. lib.* II. *cap.* 19.) nec non *Consiliarii.* (vid. SPARTIANVS in *Pescennino Nigro, cap.* 7. L. 11. §. 2. *D. de minorib.*) Dicebantur *adsidere*; nec non *in consilio esse*, siue *adhiberi.* (vid. PLINIVS *lib.* I. *Epist.* 20. & *lib.* VI. *Epist.* 11. & 22.) Tales adsessores non tantum omnibus aderant Magistratibus ius dicentibus: sed etiam iudicibus pedaneis. (vid. GELLIVS *lib.* XIV. *cap.* 2. CICERO *Orat. pro Quinctio cap.* 1.) Immo cum ipsi Imperatores sæpe de grauissimis rebus, maxime per appellationem ad se delatis, iudicarent, etiam hi in consilio habebant suos adsessores: quem morem Augustus primum ex consilio Mæcenatis instituit, quemque sub Tiberio & Caio intermissum, renouauit Claudius. (vid. DIO CASS. *lib.* LII. *pag.* 487. & *lib.* LIII. *pag.* 511. & *lib.* LX. *pag.* 667. SPARTIANVS in *Hadriano, cap.* 8. 18. & 22.) Eorum præcipuum officium erat, vt consilio suo adiuuarent in iure dicundo iudicandoue, & de iure instruerent eos, a quibus adhibebantur. Vnde non tantum viri prudentes, sed & iuris periti ad hoc munus eligebantur. (vid. GELLIVS *lib.* XII. *cap.* 13.) Hinc denique venit, quod culpam præstare teneantur, si ex eorum consilio male iudicatum sit. (vid. L. 2. *D. quod quisque iuris.*)

ninum

ninum Nigrum in eius vita, *cap.* 7. memorat, qui cum Marco Antonino & Commodo Imperatoribus in Repub. floruerit, facile coniectura capi poteſt, ab illis Principibus hanc eſſe conſtitutionem ſacratam. A quo non longe abhorret quod XIPHILINVS & ZONARAS a Marco conſtitutum fuiſſe referunt, vt ne quis patriæ ſuæ præeſſet, ἐνομοθετήθη, aiunt, τότε μηδένα τοῦ ἔθνους ἄρχειν, ὅθεν ἐγένετο, ὅτι ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Συρίᾳ ἡγεμονεύων, ὅπου καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ ἦν, ἐνεόχμωσεν. *Tunc lex lata eſt, ne quis ei prouinciæ præeſſet, e qua natus eſſet, propterea, quod Caſſius, Syriæ Præſes, in qua patriam habebat, regnum affectauerat.* Illam vero conſtitutionem iiſdem, quas poſui, exceptionibus, conditionibusque temperatam, DIOCLETIANVS protulit in *l.* 10. *in conſiliariis. C. de Adſeſſ.* ex qua interpretationem accipit *l.* 37. *hi qui.* & *l.* 38. *ſi cui in prouincia. D. Ex quib. cauſ. maior.* Eoque referendum eſt, quod MACER ſcribit, Si eadem prouincia poſtea diuiſa ſub duobus præſidibus conſtituta ſit, ſine conſtitutionis offenſa ex altera ortum in altera adſeſſurum, cum in ſua prouincia non videatur adſidere, quæ ad alterius præſidis adminiſtrationem pertineat. *l.* 3. *D. de Offic. adſeſſ.* Verum enim vero ſic ea conſtitutio accepta eſt, vt in his dumtaxat, qui publico ſalario fruerentur, id eſt, qui præſidibus, rectoribusque prouinciarum adſiderent, locum haberet, quibus e publico ſalaria ab eodem *Peſcennino* addita, ac deinde ab *Alexandro* conſtituta, SPARTIANVS, LAMPRIDIVS que *ll. cc.* referunt. Ex quo cum PAPINIANO efficiemus, in conſilium curatoris Reipub. virum eiuſdem ciuitatis adſidere non prohiberi, quippe qui publico ſalario non fruatur. *l. vlt. D. de Offic. adſeſſ.* Non de nihilo igitur in *Diocletiani* reſcripto additum eſt; MODERATORIBVS ADSEDERIT. Cæterum extat generalior VALENTINIANI & THEODOSII Conſtitutio, quæ diſtricte prohibet aliquod adminiſtrationis officium intra eam prouinciam, in qua prouincialis & ciuis habetur, quem affectare, eumque qui contra fecerit, aduerſus leges feciſſe, & ſacrilegii, id eſt, legum violatarum crimine teneri, indicat. *l. vlt. C. de crimin. ſacril.* Ac ne apparitorem quidem, vel ſtatorem, vel protectorem, vel agentem in

AIVNT] Locus quoad ſenſum exſtat apud XIPHILINVM *lib.* LXXI. *pag.* 813. quoad ipſa vero verba apud ZONARAM *lib.* XII. *pag.* 596.

DIOCLETIANVS] Auctor huius Conſtitutionis non eſt Diocletianus: ſed Theodoſius & Valentinianus AA. auctores in inſcriptione perhibentur.

rebus in ea prouincia, in qua natus est, vel domicilium habet, quemquam ferendum IVLIANVS sanxit in *l.* III. *C. de Diuers. off. lib.* XII. Vsque adeo carere suspicione voluere Imperatores eos, qui aliquam in prouinciis potestatem obtinerent.

CAP. XIII.

Quid sit ad Peregrinitatem redigi, & de Romanæ ciuitatis iure.

PRomendum ex antiquitate est, quid hoc valeat, quod apud VLPIANVM legimus, ad peregrinitatem redigi deportatos. *l.* 10. *sed si hac lege.* §. 6. *sed si per pœnam. D. de in ius voc.* Quo genere dicendi etiam TRANQVILLVS in *Claudio c.* 16. vtitur. *Splendidum*, ait, *virum, Græciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Peregrini autem dicebantur, qui ciues Romani non erant. *l.* 6. *sed si.* §. 2. *solemus. D. de Hered inst.* quos a veteribus primum hostes appellatos ab eo, quod pari cum ciuibus iure viuerent, notius est, quam vt probatione egeat. Et æquabantur quidem hi in iure reddendo ciuibus, quod eis per Prætorem, cui ea iurisdictio euenerat, dicebatur. Cæterum ciuitatis Romanæ commodis non fruebantur, quæ fuisse permaxima, & summi beneficii loco exteris

CAP. XIII. Quia auctor magni momenti hoc capite argumentum breuiter tantum perstrinxit: ad vberiorem illustrationem legendi sunt scriptores, qui ex instituto de iuribus ciuitatis Romanæ egerunt. Tyronibus sufficere possunt, quæ attulit *Ill. Heineccius* in *Syntagm. Antiqq. Append.* ad *lib.* I Legi etiam meretur *Schilteri Diss. de iure peregrinorum*, in *Exercit. ad Pand. Tom.* I. Nos pauca tantum, quæ ad illustrationem necessaria esse videbuntur, delibabimus.

NON ERANT] Scilicet liberi homines, (nam serui sub hac denominatione proprie non comprehendebantur) qui ratione status ciuitatis diuidebantur apud Romanos in ciues & peregrinos. Conf. *Ill. Heinecc. l. c.* §. 134.

VIVERENT] Scilicet secundum naturalem æquitatem, siue secundum ius naturæ & gentium.

EGEAT] Vide interim Lexicographos & inprimis FESTVM *voc. hostis*, & *status dies*, quæque ibi viri docti notarunt.

EVENERAT] Qui hinc quoque *Prætor peregrinus* appellatus fuit: de quo copiosissime egerunt viri doctissimi *Ioh. Henr. Mylius* & *Franc. Carolus Conradi*: ille singulari *Dissertatione*, quæ in eius *Opusculis* recusa; hic in *Parergis*, *Parte* I.

FRVEBANTVR] Peregrini ea tantum habebant, quæ sunt iuris gentium: non vero beneficia, quæ ex legibus Romanis descendebant. *L.* 17. §. 1. *D. de pœnis.* Conf. *Tract.* meam de *Testament. cap.* III. §. 4. *p.* 59. *seq.*

ris tributa accepimus. Ex ciuium enim Romanorum testamentis soli ciues capiebant, ciuiumque dumtaxat Romae rata habebantur testamenta. Idcirco in lege Falcidia non sine ratione scriptum est: QVICVMQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM PVBLICO IVRE DARE VOLET, &c. *L. 1. D. ad. Leg. Falcid.* Inter solos ciues etiam Romae iustae nuptiae contrahebantur. §. 1. *Inst. de Nupt.* Propriumque eorum erat, quod in liberos habebant patriae potestatis ius. §. 1. *Inst. de Patr. potest.* Verberibus etiam caedi ciues, aut in crucem agi, aut iniussu populi in eos animaduerti fas non erat. In legionibus quoque non alii, quam qui ciuitatem accepissent, militabant. Hoc amplius, inter solos ciues sollemnes per nexum abalienationes locum habuisse, CICERO *in Topicis* ostendit. Eademque ante Iustiniani constitutionem vsucapionum caussa fuit. Quae cum iure ciuili, id est, lege XII. Tabularum introductae essent, Italici soli finibus continebantur, idque ipsum nominatim lege cauebatur, aduersus hostem aeternam auctoritatem esse, vt idem CICERO *lib. 1. Offic. c. 12.* notat. Adde & honores Romae gerere, suffragium ferre, sed & toga vti dumtaxat ciuibus licuisse. Fuit enim, vt priora duo, quae in promtu sunt omnibus, omittam, toga Romani hominis certissimum insigne. *l. 32. sed si accepto. D. de iur. fisc.* Nec sine crimine aliam Romano homini, vel in media Asia vestem sumere licebat. Itaque apud LIVIVM *lib.* XXIX. *cap.* 19. a Q. Fabio in inuidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quod in Sicilia palliatus fuisset. Idemque cum Rabirio Posthumo ab aduersariis obiectum es-

TRIBVTA] Cum peregrinis scilicet interdum per priuilegium vna alteraue iuris Quiritium species communicabatur. vid. *Heinecc. l. c. §.* 133. & *Tract.* meam de *Testament. cap.* III. §. 12. *p.* 85. & 68. *p.* 118.

TESTAMENTA] Iuris scilicet Romani. vid. *Heinecc.* l. c. & *Tract.* meam *tit. cap.* III. §. 62. *p.* 104.

NVPTIAE] Inter peregrinos tamen erat matrimonium iuris gentium: inter seruos vero tantum contubernium. vid. *Heinecc. Elem. iuris ciu. sec. ord. Instit.* §. 150.

POTESTATIS IVS] Nempe singulare illud atque eminens ius, quod soli ciues Romani in liberos haberent. vid. *Heinecc. Synt. lib.* 1. *tit.* 9.

NON ERAT] Quod tamen in peregrinos licebat. vid. *Heinecc. Append.* ad *lib.* 1. *Synt. Antiqq.* §. 25. *seqq.* & §. 85.

IN TOPICIS] Intelligit sine dubio locum *cap.* 5. vbi id quidem implicite dicitur: sed disertis verbis tradit hoc CAIVS in *Commentario Boëthii* ad hunc locum. Conf. *Tract.* meam de *Testam. cap.* III. §. 12. *p.* 85.

ſet, accuratam in eo facto purgando orationem CICERO conſumit. Quorum omnium quae Quiritium peculiaria ac propria fuiſſe docuimus, peregrini expertes erant. Nam neque teſtamenti factio cum his, vt VLPIANVS in *Inſtitut. tit.* XXII. §. 2. & in §. *ſolemus* tradit, neque connubium erat, quemadmodum idem auctor *Inſtit. tit.* V. §. 4. indicat his verbis: *Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis ita, ſi conceſſum ſit.* Quod & BOETHIVS ad *Topica Ciceronis. lib.* II. *ad cap.* 4. in *loco a Conſequentibus* tradit. Hinc SENECA *lib.* IV. *de Benef. cap.* XXXV. *Promiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus apparuiſti, non eſt mihi cum extraneo connubium.* Itaque nec peregrinis eadem quae ciuibus in liberos poteſtas erat. Sed & omnis ad honores aditus peregrinis interclusus erat, ſuffragiorum in vrbe ius nullum. Ad haec togae vſus interdictus. PLINIVS *lib.* IV. *epiſtol.* II. ad *Minut. Idem cum Graeco pallio amictus intraſſet (carent enim togae iure quibus igni & aqua interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit circumſpexitque habitum ſuum, Latine, inquit, declamaturus ſum.* SVETONIVS in *Claud. cap.* XV. *Peregrinitatis reum orta inter aduocatos leui contentione, togatumne, an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi aequitatem integram oſtentans, mutare habitum, prout accuſaretur, defenderetur ve iuſſit.* Eam ob rem togae iure amicos populos a Romanis donatos Hiſtoriarum monumentis proditum eſt, idque & nouae Carthagini conceſſum TERTVLLIANVS in *lib. de Pallio cap.* I. ſignificat. Inde togatae Galliae nomen, quam & ad honores adſpiraſſe TACITVS *lib.* XI. & ſuffragiorum ius in vrbe habuiſſe memorat, & *Paulus Manutius* non dubiis argumentis in *Epiſt. ad Atticum* confirmat. Sic & Hiſpaniae populos quoſdam iuris Italici factos, togatos ſtolatosque

CONSVMIT] Vide eius *Orat. pro C. Rabirio Poſtumo, cap.* 9. *ſeqq.*

TESTAMENTI FACTIO] Neque actiua, neque paſſiua, vt practici loquuntur: quas locutiones explicaui in *Tract.* mea de *Teſtament. cap.* III. §. 60. *p.* 198. *ſeqq.*

§. SOLEMVS] Intelligit auctor L. 6. §. 2. *D. de hered. inſtit.*

CONNVBIVM] Connubium enim eſt vocabulum iuris ciuilis: quemadmodum matrimonium iuris gentium, vt ſupra iam notaui.

INTERDICTVS] Confer *Heinecc. App.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* §. 139.

LIB. XI.] Togatae Galliae tam plenum ciuitatis ius conceſſerat C. Iulius Caeſar: (vid. *Heinecc. l. c.* §. 10.) TACITVS vero *Annal. lib.* XI. *cap.* 23. loquitur de Gallia comata.

appel-

appellatos STRABO *lib.* III. *Geographiæ* ſcribit. Ex hoc more etiam regibus, quos amicos & ſocios appellabant, inter cætera togam muneri mittebant, cuius rei apud CORNELIVM TACITVM *lib.* IV. *Annal. c.* 26. exemplum extat. Nec vero virilium togatum tantum, ſed & prætextarum iure peregrinos caruiſſe, ex MACROBIO *lib.* I. *cap.* VI. colligitur. Ad hæc prænominibus peregrini non vtebantur, quæ tum demum, cum in ciuitatem esſent adlecti, aſſumſiſſe eos CICERO *lib.* XIII. *Epiſt.* 36. ad *Acilium procoſ.* oſtendit. *Cum Demetrio*, ait, *Mega mihi vetuſtiſſimum hoſpitium eſt: familiaritas autem tanta quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem a Cæſare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Gentilicia plane Romanorum nomina, quemadmodum a TRANQVILLO (*in vita Claud. c.* 24.) ſcriptum eſt, peregrinæ conditionis homines vſurpare Claudius Cæſar vetuit: permagni intereſſe ad ciuitatis decus ornamentumque exiſtimans, ne nominum quidem ſocietate peregrinis ciues Romanos coniungi. Peregrini porro etiam in vrbe habebantur, qui dediticiorum numero erant, vt VLPIANVS in *Inſtitut. tit.* XXII. §. 2. ſcribit, idemque eiuſdem libri *titul.* X. §. 3. auctor eſt, & eos peregrinos effici, quibus aqua & igni interdicebatur. Cuius in pœnæ locum cum hodie deportatio ſucceſſerit, conſequens eſt, quod a nobis initio poſitum eſt, per deportationis pœnam in peregrinorum ſtatum conditionemque ciues redigi, id eſt, vt cum ipſis Iureconſultis loquar; ἀπόλιδας effici. *l.* 17. *ſunt quidam.* §. 1: *D. de Pœn. l.* 1. §. 2. *hi quibus D. de Legat.* III. Proinde hereditatum quoque capiendarum, & teſtamenti faciendi,

CARVISSE] Pueros ſcilicet: nam prætexta, quatenus inſigne magiſtratuum, caruiſſe peregrinos, per ſe facile intelligitur.

ASSVMSISSE] Peregrini, ius ciuitatis Romanæ adepti, eius, cuius beneficio id impetrauerant, nomen gentilitium & prænomen aſſumere ſolebant: veteri vero nomine ſuo poſtea pro cognomine vtebantur. Præter exemplum ab auctore adductum, alia reperire potes apud CICERONEM *Famil. lib.* XIII. *Epiſt.* 35. & *Accuſat. in Verrem lib.* IV. *cap.* 17. & apud CAESAREM *de bello Gall. l.* I. c. 47 Hinc tempore Claudii multi ab eo ciuitate donati ideo accuſati ſunt, quod nomine eius non vterentur, teſte DIONE CASS. *lib.* IX *pag.* 676.

NVMERO ERANT] Intellige libertos dedititiæ conditionis: de quibus vide *Heineccii Synt. Antiqq. lib.* I. *tit.* 4. 5. §. 11. 15.

SVCCESSERIT] Proprie deportatio addita fuit aquæ & ignis interdictioni. Sed de aquæ & ignis interdictione, & de deportatione, infra differendi locus erit *lib.* III. *cap.* 5.

di, & patriæ poteſtatis, & alia omnino Quiritum iura amittere. *l.* 1. *C. de Heredibus inſtituend. l.* 8. *eius qui.* §. 1. *D. de Teſtamentis.* §. 1. *cum autem. Inſtitut. quib. mod. ius patr. pot.*

CAP. XIV.

Collegia illicita quibus Legibus, Senatuſconſultis, Conſtitutionibusque coërceantur.

COnſtans omnium ſententia eſt, nullam illicitis cœtibus capitaliorem Reipub. peſtem eſſe. Itaque neque ſocietatem, neque collegium, neque huiusmodi corpus paſſim omnibus habere Romæ, quantum ab vltima antiquitate repeto, concedebatur, eamque rem & legibus, & ſenatuſconſultis, & conſtitutionibus, mandatisque Principum coërcitam, collegiaque, præter pauca & certa publica auctoritate confirmata, quæ vtilitas ciuitatis deſideraſſet, ſublata ASCONIVS in *Cornelia. Cicer. p.* 137. & noſtri auctores in *l.* 1. *D. Quod cuiusque vniuer.* & *l.* 1. & *l.* 3. *D. de Colleg. & corp.* ſcribunt. Leges in eam rem latas inueſtiganti mihi regia Tarquinii lege vetuſtior nulla occurrit, qua præter collegia a Numa instituta reliqua omnia diſſoluit, quemadmodum DIONYSIVS HALICARNASS. *lib.* IV. *p.* 246. his verbis refert: συνόδυς τε συμπάτας, ὅσαι πρότερον ἐγίνοντο, κωμητῶν, ἢ φρατριαςῶν, ἢ γειτόνων, ἔντε τῇ πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἐφ᾽ ἱερὰ καὶ θυσίας, πάσαις κοινῇ προεῖπε μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ συνιόντες εἰς

CAP. XIV. Confer cum hoc capite *Ill. Heineccii* Diſſertationem *de collegiis & corporibus opificum*: quæ occurrit in *Opuſculis* eius, *num* IX. in qua *cap.* I. hæc doctrina egregie ex antiquitatibus illuſtratur.

INSTITVTA] Quænam illa ſint, ſatis diligenter ex PLVTARCHO explicauit *Heineccius Diſſ. all.* §. 4. *ſeqq.* Tarquinium vero Superbum illa non ſalua reliquiſſe, ſed omnia omnino collegia ſuſtuliſſe, partim ex verbis DIONYSII, partim ex tyrannico Tarquinii ingenio colligunt eruditi. Quamuis fatendum ſit, DIONYSIVM nullam diſerte collegiorum opificum mentionem feciſſe: ſed narrare tantum, Tarquinium ſuſtuliſſe conuentus curialium, vicinorum & paganorum, qui communium ſacrorum cauſa fiebant, ex inſtituto Seruii Tullii: (vid. DIONYSIVS *lib.* IV. *p.* 219. *ſeq.*) quos deinde ſtatim, exactis regibus, denuo inſtituerunt primi Conſules, vt idem auctor *lib.* V. *p.* 278. teſtatur. Libera deinde republica non tantum vetera collegia reſtituta, ſed & noua ſubinde inſtituta fuiſſe, probatur in *Heineccii Diſſ. all.* §. 10. & 12. Quamuis vero leges XII. Tabularum collegia licita approbaſſe videntur: (vti ex *l. vlt. D. de colleg. & corp.* colligit *Heineccius l. c.*) eaedem tamen leges illicitos cœtus, maxime nocturnos, ſub grauiſſimæ pœnæ comminatione, prohibuerunt: id quod lex Gabinia poſtea confirmauit. (vid. POCII LATRONIS *Declamat. aduerſ. Catilin. cap.* 19.) Semper

τὸ

τὸ αὐτὸ πολλοὶ βουλὰς ἀποῤῥήτους μετ' ἀλλήλων ποιῶνται. περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς. *Præterea cætus omnes paganorum, curialium, vicinorum, vel in agris, vel in vrbe, antea ſacrorum cauſa fieri ſolitos, vno edicto in poſterum vetuit, ne multis in vnum locum conuenientibus, arcana de conuellenda tyrannide inirentur conſilia.* Senatuſconſulta vero, quibus collegia, quæ contra leges inſtituta eſſe videbantur, ſublata ſunt, tria memorantur: vnum a PAEDIANO in *Piſonian. p.* 158. *ſeq.* quod L. Cæcilio & Q. Martio Coss. factum eſt. Alterum a CICERONE *lib.* II. *epiſt.* 3. ad *Q. Fratrem*, quod Lentulo & Metello Coss. Tertium a TACITO *lib.* XIV. *Annal. cap.* 17. Neronianis temporibus factum, cum de contentione inter colonos Nucerinos Pompeianosque orta ad Senatum relatum eſſet. Principum de eadem re Conſtitutiones a Iulio Cæſare repetemus, quem bellis ciuilibus compoſitis collegia cuncta, præter antiquitus conſtituta, diſtraxiſſe SVETONIVS in eius vita *cap.* 42. refert. Quod ipſum & ab Auguſto poſtea factum, cum plurimæ factiones titulo collegii noui ad nullius non facinoris ſocietatem coiſſent, idem auctor in *Auguſt. cap.* 32. ſcribit. Mandatis quinetiam principalibus, quæ Præſidibus dabantur, caput hoc inſertum accepimus, vt ne collegia ſodalitiaue eſſe Præſides prouinciarum paterentur, neue milites collegia in caſtris haberent. Idque non tantum in vrbe, ſed in Italia & in prouinciis locum habere, Diuus quoque Seuerus reſcripſit *l.* 1. *D. de Colleg. & corp.* Qua de cauſa etiam Iudæorum religionis cauſa conuentus in prouinciis præſides proconſulesque inhibebant, quoad illis ſacrorum ſuorum cauſa coire Auguſtus epiſtola ad Norbanum Flaccum Aſiæ Proconſulem præſidesque prouinciarum mis-

quoque Senatui Magiſtratibusque curæ fuit, ne cœtus collegiaue contra rempublicam orirentur. Ex Magiſtratibus hæc cura præcipue Ædilibus incubuiſſe videtur, quorum vices noctu tenebant triumuiri nocturni: Senatum vero per varia decreta huic rei medelam adhibuiſſe in hiſtoria Romana deprehendimus. Quatenus in ſpecie religionis cauſa apud Romanos coire licuerit, vel non, disquirit *Ill. van Bynkershœk* in Diſſertatione *de cultu religionis peregrinæ*, quæ exſtat *Tom.* II. *Opuſculorum.*

MARTIO COSS.] Nimirum A. V. C. 685. quod ipſum illud SC. eſt, cuius idem auctor in *Orat. Cicer. pro Corn. p.* 137. mentionem facit. Confer *Heinecc. Diſſ. all.* §. 14.

METELLO COSS.] Nempe A. V. C. 696. cui Clodii factiones occaſionem dederunt. Vide *Heinecc. Diſſ. all* §. 15.

IVDAEORVM] Late hac de re egerunt *VV. Ill. Corn. van Bynkershœk* in *Diſſ. all. pag.* 190. *ſeqq.* & *Heineccius* in *Diſſ. all.* §. 17.

ſa permiſit, quemadmodum PHILO in oratione ad C. Cæſarem refert, qui & ab eo Principe, vti collegium Iudæorum eſſe pateretur impetrauit, quod tamen ſtare poſtea Claudius paſſus non eſt, qui omnes Iudæorum ſocietates vniuerſitatesque, vt DION *lib.* LX. *pag.* 669. auctor eſt, diſſoluit, poſt quem deinde Antoninus Iudæorum vniuerſitati velut publice improbatæ legari nihil poſſe reſcripſit, *l.* 1. *C. de Iudæis.* Vt enim legitimis approbatisque collegiis & hereditates & legata dari reſtituique, Senatuſconſultis Marci, vt opinor, temporib. factis, concedebatur. *l.* 20. *cum ſenatus. D. de Rebus dub. l.* 26. *omnibus. D. ad Trebellian.* ita illicitis atque illegitimis collegiis nihil iure relinqui poterat. *l.* 8. *collegium. C. de Hered. inſtituend.* Licita porro & legitima collegia ea demum habebantur, quibus coëundi ius lege, vel Senatuſconſulto permiſſum eſſet. *l.* 5. *ſemper.* §. 12. *quibuſdam. D. de iure immunit. l.* 1. *D. Quod cuiuſ. vniuerſ.* Quo in genere figulorum, fabrorum ærariorum, piſtorum, tibicinum, aurificum, cerdonum, coriariorum, lictorum, viatorum, publicanorum, nauiculariorum, & eorum, qui annonæ vrbis ſeruiebant, collegia in veterum libris recenſentur. Inuenio & in Antiquis Inſcriptionibus, & in *Cod. Theodoſ.* centonariorum, ac dendrophororum corpus: menſorum item frumenti, in *l.* 10. *ab his.* §. 1. *D. de Vacat. mun.* Item vinariorum, lupinariorum, & caligariorum apud LAMPRIDIVM in *Alexandro c.* 33. a quo principe omnium artium corpora inſtituta, hisque ex ſeipſis defenſores datos, idem auctor ſcribit, defenſores appellans, quos & ſyndicos dicimus, quemadmodum in *l.* 1. §. 13. *tutores. D. Quand. appell. ſit. l.* 2. & *l.* 16. §. *vlt.* & *l. vlt. D. de Munerib. & honor.* præter quos etiam patronum ſibi aliquem collegia quæque conſtituebant, cuius rei in Inſcriptionibus antiquis

RESTITVIQVE] Collegia & corpora omnia, ſi vel maxime licita, vtpote perſonæ incertæ, olim non poterant heredes inſtitui, neque legata capere: poſtea SC. permiſſum, vt iis legata & fideicommiſſa relinquerentur. Leo vero Imp. demum permiſit in L. 12. C. *de hered. inſtit.* vt & directe heredes inſtituerentur. Vid. *Heinecc. Diſſ. cit.* §. 27. *ſeq.* & *Tract.* meam de *Teſtament. cap.* III. §. 67. *p.* 217. *ſeq.*

RECENSENTVR] De his multisque aliis, præter *Heinecc. Diſſert. all.* conferri poteſt *Guidonis Pancirolli* Tractatus *de corporibus artificum*, qui tum ad calcem *Notitiæ eius vtriusque Imperii*, tum *Tom.* III. *Theſauri Antiqq. Rom Græc.* reperitur. Præterea quoque *Indices ad Collectiones Inſcriptionum* conſuli poſſunt.

DENDROPHORORVM] De hisce doctiſſime egit *V. Cel. Franc. Car. Conradi in Parergis, Part.* I. *n.* 2.

teſti-

teſtimonia reperiuntur. Huiuſmodi vero collegiis arcæ communis habendæ, pecuniæque in commune cogendæ ius competebat. Manumittendorum quoque ſeruorum poteſtatem his conceſſiſſe Marcus dicitur. *l.* 1. *D. de Libert. vniuerſit.* Quorum omnium nihil illicitis collegiis tribuebatur. Illicita autem exiſtimabantur vtique omnia, quæ non ex Senatus Principiſue auctoritate coiſſent. Aliter enim noua collegia iure inſtitui non potuiſſe argumento eſt, quod Bithyniam Proconſule regens PLINIVS, cum e re Nicomedenſium ciuitatis exiſtimaret fabrorum collegium inſtitui, id vt facere ſibi liceret, a Traiano per litteras, *lib.* x. *n.* 42. *Epiſtol.* ſuarum petit: Cuius tamen petitioni Traianus adſenſus non eſt, veritus, ne quod alias acciderat, collegiorum factionibus ea ciuitas vexaretur. *(Ep.* 43. *ap. Plin.)* Cæterum qui illicitum collegium coiſſe dicebantur, Romæ apud Præfectum vrbi accuſabantur. *l.* 1. *§. vlt. D. de Offic. præfect. vrbi.*

CAP. XV.

De iure Nundinarum.

COllegiis nundinas adiungamus, quas ne in priuatis quidem prædiis ad arbitrium inſtituere cuique permittebatur, ſed accedere Principis vel Senatus auctoritatem neceſſe erat. A Principe peti ſolitum nundinarum habendarum ius, indicio eſt *l.* 1. *D. de Nundin.* in qua ita eſt: *Nundinis a Principe impetratis, non vtendo qui meruit, decennii tempore vſum amittit.* A Senatu vero impetratum ius hoc quoque fuiſſe, PLINIVS *lib.* V. *Epiſtol.* 4. ad *Valerianum* oſtendit. *Solers*, ait, *vir prætorius a ſenatu petiit, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur. Contradixerunt Vicentinorum legati.* Atque ita Claudium Imperatorem, legibus publicis ſeipſum ſubiicientem, ius nundinarum in ſua prædia à Conſulibus petiiſſe accepimus, vt eſt a SVETONIO in eius vita *cap.* 2. relatum.

ACCVSABANTVR] Referebatur hoc delictum ad crimen læſæ maieſtatis, & hinc quoque eadem pœna ei erat impoſita. Vid. *Heinecc. Diſſ. all.* §. 22.

CAP. XVI.

De Principum orationibus.

AMplissimi ordinis auctoritas, ex quo vnius dominatu omnia teneri cœpere, valde fracta & imminuta est: a bonis tamen Principibus aliquatenus in eo retenta, quod quæ constitu'uri essent, orationibus complexi, de his censendi arbi'rium Senatui relinquebant. Cuiusmodi multæ libris nostris memorantur in senatu recitatæ Principum orationes. *l.* 1. & *l.* 2. *D. de Feriis. l.* 2. *D. de Fugit. l.* 32. *cum hic status D. de Donatio. inter vir. l.* 8. *cum hi. D. de Transact. l.* 16. *oratio. D. de Sponsal. l.* 1. §. 1. *D. Ne de stat. defunct. l.* 4. *D. si libert. ingen. esse dic.* Eas vero orationes patrum consultum, quemadmodum *lex.* 16. *oratione. D. de Ritu nupr.* indicat, statim subsequebatur. TACITVS *lib.* XI. *Annal. c.* 25. *Orationem Principis secuto Patrum consulto primi Hedui senatorum in Vrbe ius adepti sunt.* Exemplo erit Senatusconsultum de petitione hereditatis, quod ad orationem Hadriani factum, ex *l.* 20. *item veniunt.* §. 6. *præter. l.* 40. *illud. l.* 22. *si & rem D. de Petit. heredit.* & *l.* 1. *C. eodem tit.* perspicue intelligimus. Atque hinc fit, vt quod vno in loco oratione inductum traditur, id alias Senatusconsulto citra vl-

CAP. XVI. Ad hoc sequensque caput, præter scriptores historiæ iuris, consulenda *Christ. Otton. a Backelen* Dissertatio *de Orationibus Principum*, quæ occurrit in *Opusc. de sectis & philosophia ICtorum*, *editis a Gottl. Sleuogt*, *Ienæ* 1724. 8uo. Legi etiam meretur *Prælectio* X. in *Dodwelli Prælect. Camden. ed. Oxon.* 1692. 8uo.

IMMINVTA EST] In speciem quidem Senatus auctoritas aucta est sub Imperatoribus, postquam scilicet a Tiberii vsque tempore, comitiis ex campo in curiam translatis, (vid. TACITVS *Annal. lib.* 1. *cap.* 15.) omnia, quæ olim per populum fiebant, senatus arbitrio peragebantur. Sed hoc fuit tantum simulacrum libertatis: senatus enim in sententiis ferendis totus a principis arbitrio dependebat: immo & ipsa SC[illegible] principe confirmari debebant. Vid[illegible] *Christ. Godofr. Hoffmanni Histor. Iur. Tom.* 1. *pag.* 288. *seq.* v. *Cel. Petri Burmanni Dissert. de vectigalibus populi Rom. cap.* VI. *p.* 85. *seqq. ed. nouæ: Ill. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 2. §. 45.

COMPLEXI] Ita Augustus, teste SVETONIO in eius vita, *cap.* 84. nunquam in senatu (quemadmodum etiam apud populum atque milites) nisi meditata & composita oratione locutus est: & ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, recitare omnia instituit. Quod quidem a vetere consuetudine non abhorret. Nam & libera republica Consules aliiue magistratus, qui ad senatum referebant, prolixam sæpenumero præmittere solebant orationem, vt cuiuis ex veterum scriptis obuium est. Nec morem e scripto recitandi incognitum plane antea fuisse, patet ex CICERONE *Philipp.* X. *cap* 2. & *Famil. lib.* X. *Epist.* 13. Quamuis negan-

lam

lam plane pugnam atque diſcordiam tribuatur. Vt ecce, de alimentis teſtamento relictis ſine Prætoris auctoritate tranſigi interdum oratione, interdum Senatuſconſulto prohibitum dicitur. *l. 8. cum hi. D. de tranſact. l. 23. eleganter. §. 2. D. de Condict. indeb.* Alienatio rerum minoris oratione & Senatuſconſulto interdicta promiſcue dicitur. *l. 1. & l. 12. non fit. D. de rebus eor. l. 1. l. 7. ſi ad reſoluendam. C. de Præd min.* Et quod Senatuſconſulto Orphitiano plerumque vindicatur, oratione Imperatorum Antonini & Commodi in Senatu recitata factum, *Vlpianus* in *Inſt. tit.* XXVI. §. 7. & *Caius* in *l. penult. D. ad Senatuſc. Tertyllian.* ſcribunt. Amplius quod Senatuſconſulto cautum conſtitutumque crebro legimus, ne tutor pupillam vel filio ſuo, vel ſibi nuptum collocet. *l. 1. C. de interd. matrim. l. 4. ampliſſimi. C. de Excuſ. tut. l. 59. Senatuſconſulto. l. 64. libertum. §. 1. D. de Rit. nup.* id orationi D. Marci adſcribitur in *l. 60. ſi quis tutor. §. 5. quamuis. & l. 67. non ſolum. §. 2. ſed etſi filiusfam. D. de Rit. nupt.* Quæ omnia ea ratione non eſſe contraria defendetur, quod Senatui eorum cenſendorum orationibus in Senatu recitatis Imperatores auctores fuerint.

CAP. XVII.

De Quæſtorum ſub Imperatoribus munere.

MOvet me proxime habitus de Orationibus Principum ſermo, vt de Quæſtorum officio, per quos eæ plerumque recitabantur, quæ legendo adnotaui, in medium adferam, eoque magis, quod inde *lex vnica D. de Offic. Quæſtoris*, illuſtrabitur, in qua Quæſtores libris Principalibus epiſtolisque in Senatu legendis vacaſſe, & *Candidatos Principis* appellatos VLPIANVS ſcri-

dum non ſit, morem hunc ab Auguſti demum temporibus frequentiorem multo factum fuiſſe: quemadmodum & Auguſtus primum inſtituiſſe videtur morem illum per alium recitandi: quæ omnia ad Principis maieſtatem augendam comparata fuiſſe, facile perſpicitur.

CANDIDATOS PRINCIPIS] Candidati Principis in genere appellabantur omnes ii, quos Princeps in magiſtratus petitione populo primum, & deinde, comitiis ex campo in curiam translatis, ſenatui commendabat. (vid. SVETONIVS in *Auguſto, cap. 56.* TACITVS *Annal. lib. 1. cap. 15*) In ſpecie vero Quæſtores illi, qui libellos, orationes epiſtolasque Principis in ſenatu recitabant, quia hoc munus auſpicium veluti maiorum honorum erat, & quia exacto hoc munere plerumque Principis commendatione Prætores ſtatim fiebant. LAMPRIDIVS in Alexandro Seuero, *cap. 43. Quæſtores*, inquit, *Candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare, ſed vt poſt*

 bit:

bit: quo ſenſu Candidati nomen apud VELLEIVM PATERCVLVM *lib. poſteriore c.* 124. accipiendum cenſeo, cum ita ait: *Quo tempore mihi fratrique meo Candidatis Cæſaris proxime a nobiliſſimis ac ſacerdotibus viris deſtinari Prætoribus contigit.* Fuiſſe vero hoc Quæſtorum ſub Cæſaribus munus, vt orationes Cæſarum recitarent, multa declarant: Illud inprimis, quod SVETONIVS *in vita Ner. c.* 15. Neronem refert præterito Quæſtoris officio per Conſules plerumque recitaſſe. Cuius & illud eſt in *Tito cap.* 6. *Recepta ad ſe prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipſe epiſtolas dictaret, & edicta conſcriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam Quæſtoris vice, Præfecturam quoque prætorii ſuſcepit.* TACITVS *lib.* XVI. *Annal. c.* 27. *Inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam ſenatores, & oratio Principis per Quæſtorem eius audita eſt.* DION *lib.* LIV. *pag.* 539. συναγαγὼν δὲ ἐκ τέτε τὸ βυλευτήριον, αὐτὸς μὲν ἐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχε, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμιείᾳ ἀναγνῶναι δὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. *Deinde conuocato ſenatu, ipſe grauedine laborans nihil locutus, Quæſtori libellum recitandum dedit, quo res ab eo geſtæ recenſebantur.* Idem *lib.* LX. *pag.* 665. de Claudio. καὶ ἐ πάντα, ὅσα ἐς τὸ συνέδριον εἰσέφερεν, αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμιείᾳ τήν γε πρώτην καὶ παρὼν ὡς γὲ πλήθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδε. *Itaque non omnia ipſe ſua voce pronunciabat, de quibus in ſenatu referret, ſed recitanda ſere Quæſtori, idque præſens ipſe initio dabat.* Nec vero ad oratio-

quæſturam praturas acciperent, & inde prouincias regerent. Hinc ſæpe in Inſcriptionibus occurrit QVAESTOR KANDIDATVS. vid. *Heinecc. Synt. Antiqq. lib.* 1. *tit.* 2. §. 45.

CENSEO] Ego vero cum *Schegkio* in notis ad *h. l.* Paterculum cum fratre Candidatum Cæſaris in ſenſu generaliori tantum fuiſſe exiſtimo: noſtrum ſane Velleium non Quæſtorem Candidatum fuiſſe liquet ex *cap.* 111.

MVNVS] Quæſtoribus vero ideo hoc munus demandatum fuiſſe videtur, quia & libera republica non tantum Quæſtura primus honoris gradus, ſententiæque in ſenatu dicendæ, habebatur: vid. CICERO. *Proœm. Act. in Verr. cap.* 4. ASCON. *in Ciceron. Diuin. cap.* 10. *pag.* 19. *L. vnic.* §. 3. *D. de offic. quæſt.*) ſed quia Quæſtores etiam veluti maiorum magiſtratuum adminiſtri erant. Hinc Principes hosce Quæſtores tanquam proprios ſuos adminiſtros ſibi adſumebant, & ideo quoque *Quæſtores Principis, Cæſaris, Auguſti, Imperatoris* vocantur. Quod eo minus mirandum, quum iam tempore triumuiratus A. V. C. 716. inſtitutum fuerit, vt ſinguli Conſules duos ſibi Quæſtores adiunctos haberent, teſte DIONE CASS. *lib.* XLVIII *pag.* 383. De his *Quæſtoribus Conſulum* conferri poſſunt *Dodwelli Prælect Camden Pr.* XI. §. 2. & *Maſſonii Vita Plinii Iun. pag.* 51. *ſeqq.*

nes

nes modo recitandas, sed ad cætera omnia, quæ vel absentes, vel præsentes, si laborem recitandi fugiebant, Senatui nota facere vellent, Quæstorum opera Principes vtebantur, vt ex his SVETONII verbis apparet, quæ sunt in *Augusto*, *cap.* 65. *De filia absens, ac libello per Quæstorem recitato, notum Senatui fecit.*

CAP. XVIII.

Obseruata quædam de Vxorum ad viros deductione.

POssunt de antiquo nuptiarum ritu ex Pandectis nonnulla colligi; ne id quidem negligendum duxi, qui minuta quæque Antiquitatis vestigia studiose persequor, quod sæpe inter legendum occurrit, vxorem mariti domum deductam. *l.* 13. *si vxor.* §. 8. *si minor. D. ad leg. Iul. de Adult. l.* 9. *quæsitum. D. de Sponsal. l.* 2. *in fine. D. de Priuileg. credit. l.* 10. *hæc conditio D. de Condit. & demonst. l.* 5. *si vt certo.* §. 10. *interdum. D. Commod. l.* 68. *dotis promissio. l.* 69. *cum post.* §. 3. *in domum. D. de iur. dot. l.* 32. *cum hic status.* §. 27. *si quis sponsam. D. de Donat. inter vir. l.* 2. *D. de His quæ vt indign.* Quibus omnibus vetus Romanorum mos in mariti domum nouas nuptas traducendi demonstratur, qui etiam *l.* 15. *cum fuerit. D. de Condit. & demonstrat.* & *l. penult. D de Donat. int. vir.* & hisce, quos subieci locis, perspicue comprobatur. TACITVS *lib.* XII. *Annal. c.* 5. *Nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia*, SENECA *lib.* III. *num.* 21. *Controuersiarum. Cum infelici face ad dotalem suum noua nupta deduceretur, si qua fides est, exhorrui.* AVGVSTINVS *lib.* VI. *de Ciuitate Dei cap.* IX. *Sed domum ducenda est, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus.* Sic enim eum deum, qui ei sollemni deductioni præerat, appellabant, eiusmodique epitheto MARCIANVS CAPELLA *lib.* II. *de Nup. Philolologiæ* Iunonem ornat. Ab hoc autem more manauit, quod dicimus *vxorem*

CAP. XVIII.] De iure connubii & ritu nuptiarum quum ipse auctor, tum multi alii ex instituto scripserunt. In hoc capite quædam tantum, quæ ad sollennem domum deductionem pertinent, delibantur, quorum vberior illustratio quum ex scriptis illis cuiuis obuiis facile peti possit, nos non erimus hoc loco prolixiores.

ORNAT] Immo ipse quoque AVGVSTINVS *de Ciuit. Dei lib.* VII. *cap.* 3. Iunonem *Domiducam* fuisse vocatam tradit: quod nullam inuoluit contradictionem: nam a parte sponsi *Deus Domidu-*

ducere: nam id præcise dicitur: etenim cum dicimus, *vxorem ducere*, deest, *domum.* Plene autem ac perfecte sic enuntiatur: *Vxorem domum ducere.* TERENTIVS *Hecy. Act.* I. *Sc.* I. *v.* 5.

Nunquam se illa viua vxorem ducturum domum.

Et alias, *ead. Act.* I. *sc.* 2. *v.* 60. *Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum.*

Idem *Phormi. Act.* IV. *sc.* 4. *v.* 12. *Dotem si accipiet, vxor ducenda est domum.*

PLAVTVS *Aulular. Act.* II. *sc.* I. *v.* 28. *Volo te vxorem domum ducere.*

Et alio eiusdem Comœdiæ loco, *Act.* III. *sc.* 5. *v.* 6. *Vt indotatas ducant vxores domum.*

Eodemque modo Græci ἄγεσθαι γυναῖκα imminute dicunt, apud quos ista quoque deductio in vsu fuit. LYSIAS in *orat de Eratosthenis cæde*: ἐπειδὴ ἔδοξέ μοι γῆμαι, καὶ γυναῖκα ἠγαγόμην εἰς τὴν οἰκίαν. *Quoniam visum mihi fuit nuptias celebrare, & vxorem domum duxi.* POLLVX *lib.* III *Onomast. cap.* 3. ὁ δὲ ἄγων τὴν νύμφην ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οἰκίας, νυμφαγωγὸς, ὁπότε μὴ ὁ νυμφίος μετήει, οὐ νενόμισο δὲ μετιέναι τοὺς δευτερογαμοῦντας. *Qui vero sponsam ex patris ædibus ducit, sponsæ ductor dicitur, quando scilicet sponsus ipse sponsam non accersit: non solent autem ipsi sponsam traducere bigami.* Ab eadem etiam consuetudine & illud profectum est, quod NONIVS MARCELL. *lib.* II. *n.* 432. notat, *Innubere* a veteribus dictum pro *transire*, quod quæ nuberent, ad maritorum domus transirent. Atque hac de causa absenti per litteras vel nuntium posse mulierem vtiliter nubere nostris placet, si in domum eius deducatur. Absentem vero mulierem ex litteris suis vel nuntio suo duci non posse, quia deductione in mariti domum quasi in domicilium matrimonii opus esset. *l.* 5. *mulierem. D. de Rit. nupt. l.* 69. *cum post.* §. 3. *in domum. D. de Iur. dot. Vir absens*, ait PAVLVS *lib.* II. *sent tit.* XIX. §. 8. *vxorem ducere potest, femina absens nubere non potest.* Cuius differentiæ hanc interpres rationem adfert, quod in absentis domum, vxore a parentibus eius vel amicis deducta, nuptiæ celebrari possunt. Quod idem fieri non potest, vbi a vi-

ducus; a parte sponsæ *Iuno Domiduca* huic actui præerat. Iuno enim communis omnium fœminarum Dea erat tutrix. vide FESTVM *voc. supercilia.*

OPVS ESSET] Solus quidem consensus facit nuptias: ad implementum tamen iustarum nuptiarum domum deductio necessaria esse videbatur, ob religio-

ri

ri domo vxor abeſt. Cæterum veſpere in maritorum domum vxores transferebantur, tædis ac facibus præeuntibus. Noctu enim nubebant, quemadmodum SEX. POMP. FESTVS *v. patrimi lib.* XIV. notat. Eaque ratio eſt, cur CATVLLI *epithalamio* noctem imminere pueri puellæque moneant. Velatæ item domum deducebantur, VT TERTVLLIANVS in *lib. de virginib. veland. cap.* XI. tradit, ingredientesque domus poſtes inungebant. Ex quo & vxorum nomen fluxiſſe DONATVS in *Terentium Hecyr. Act.* I. *ſc.* 2. *v.* 60. credit, & ISIDORVS *lib.* IX. *Etym. cap. vlt.* probat. Sed hæc alias.

CAP. XIX.

Exemplis demonſtrata antiqua Seruitutum recipiendarum formula.

IN legibus mancipiorum qualiter olim ſeruitutum receptio fieret, ſcitu ac cognitione dignum eſt. Id quod ego aliquot exemplis planum faciam. Vnum ſumetur ex *l.* 69. *qui libertatis.* §. 5. *in fine. D de Euict.* ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VTIQVE SVNT. Alterum ex *l.* 23. *ſi ſeruitus. D. de Seruit. vrb. præd.* quæ ſeruitutem luminum ita recipi ſolitam indicat: LVMINA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. Quod in CICERONE quoque *lib.* I. *de Orat. c.* 39. obſeruari poteſt. *Quo quidem,* ait, *in genere, familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo iudicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & a iuris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodammodo nuper errauit. nam cum ædes L. Fuſio venderet, in mancipio lumina vti tum erant, ita recepit.* Aliud promemus ex *l.* 17. *ſi arborem.* §.

nem præſertim Deorum Penatium, & quia vxor ſacrorum domeſticorum veteri iure particeps fiebat. vid. *Ill. Heineccii Elementa Iuris ciu. ſec. ord. Inſtit.* §. 148. & *Synt. Antiqq. lib.* I. *tit.* X. §. 4.

EPITHALAMIO] Eſt Carmen LIX. iuxta editionem *Scaligeri*, cuius initium: *Veſper adeſt. &c.*

VELATAE] Velabantur enim Flammeo, teſte FESTO *voc. flameo,* & *voc. nuptias.*

PROBAT] Adde SERVIVM ad *Æneid. lib.* IV. *v.* 458.

CAP. XIX. Confer cum hoc capite Auctoris Opus de *Form. Solenn. lib.* VI. *pag.* 500.

MANCIPIORVM] Qui prædium aliquod, ſiue ruſticum, ſiue vrbanum, in alium rite per mancipationem transferre volebat, is in legibus adiici ſolitis omnia rei commoda & incommoda, adeoque etiam iura & ſeruitutes, indicare tenebatur. vide CICERONEM *de Offic. lib.* III. *cap.* 16. *ſeq.* & *de Orat. lib.* I. *cap.* 39. & confer *Tract.* meam *de Teſtament. cap.* III. §. 21. *p.* 114.

3.*hac lex traditionis*.*D.deServit.vrban.* de ſtillicidii ſeruitute. STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. & ex *l*.33.*cum in lege D.de contrab.emp.* FLVMINA, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT. Quod etiam a VARRONE *lib.*IV.*de lingua Lat.c.*5.*p.*12. notatur. *Fluuius*, ait, *quod fluit, item flumen, a quo lege prædiorum vrbanorum ſcribitur* :- STILLICIDIA FLVMINAQVE, VT ITA FLVANT CADANTQVE. Poſtremum nobis ſuppeditat *l.*33. *eum debere. D. de Seruitutib. vrb. præd.* PARIES ONERI FERVNDO VTI NVNC EST ITA SIT. Generalem vero receptionem HERENNIVS MODESTINVS in *l.* 39. *quæro. D. de Act. empt.* ita conceptam profert: SERVITVTES SI QVAE DEBENTVR DEBEBVNTVR. quam VLPIANVS ita concipit: QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST. *l.*10. *quidquid. D. Commun. præd.* Et de his ſeruitutum exceptionibus accipiendum eſt illud SICVLI FLACCI, in libro *de conditionibus agrorum. pag.* 10. *Priuatæ itaque*, ait, *viæ ad finitiones agrorum non pertinent, ſed ad itinera eis præſtanda, quæ ſub exceptione nominari in imtionibus agrorum ſolent.*

CAP. XX.

Explicatur Pomponii in l. 2. de Origine iuris locus.

IVs Ciuile per multa ſæcula inter ſacra ceremoniasque Deorum abditum, ſolisque Pontificibus notum fuiſſe CICERO *pro Muræna, cap.* II. & VALERIVS MAXIMVS *lib.* II. *cap.* 5. *ex.* 2. ſcribunt. *Ex quibus*, quemadmodum noſter POMPONIVS in *l.* II. §. 6. *deinde ex his. D. de Orig. iur.* ait, *conſtituebatur, quis quoquo anno præeſſet priuatis:* quæ verba nondum quiſquam ex animi mei ſententia interpretatus eſt. Nam male qui verbi præeſſe vim cogni-

CAP. XX. Ad huius capitis illuſtrationem conferendi ſunt ſcriptores hiſtoriæ iuris & interpretes ad POMPONII Enchiridion.

FVISSE] Siue *repoſitum in penetralibus Pontificum*, vt loquitur LIVIVS *lib.* IX, *cap.* 46. Quamuis enim ad Pontifices proprie ius ciuile non pertineret, niſi quatenus cum religione eſſet coniunctum: (vt loquitur CICERO *de Legg. lib.* II. *cap.* 19.) videtur tamen antiquitus hæc ſcientia apud ſolos Pontifices delituiſſe. Pontifices ergo ſoli tunc temporis ſimul fuerunt ICti, vnde etiam poſterioribus temporibus, euulgatis iam hisce myſteriis, permanſit principium illud, Pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet. (vide locum *Ciceronis* laudatum) Hinc ex hiſtoria iuris perſpicere quoque poſſumus, maximos ſemper apud Romanos ICtos ſimul fuiſſe Pontifices. Confer infra *lib.* IV, *cap.* 16. quæque ibi adnotauimus.

gnitam non habebant. pro *priuatis*, *priuatus*, emendarunt. Vſus eſt vero eo vocabulo & idem auctor aliquot poſt interiectis verſibus, §. 7. *Augeſcente*, inquit, *ciuitate*, *& qui praerant*, *genera agendi compoſuerunt*. Ego autem *præeſſe*, iuri dicundo præeſſe, actionesque & iudicia dare interpretor, & ita quoque accipi contendo apud CICERONEM *lib.* 1. *c.* 10. *de Oratore.* in eo Craſſi ſermone, qui vt ab homine iurisperito ex medio foro petitis verbis contexitur. *Multisque præeſſem*, inquit, *qui aut interdicto tecum contenderent*, *aut te ex iure manu conſertum vocarent*. Quod ita accipio, vt philoſophorum artem cum iuris ciuilis ſcientia non eſſe conferendam æquandamque ſentiens, de ea re ſi controuerſia incidat, multis ſe iudicia conſtituturum ſignificet, qui actione vel interdicto cum iis congredi non dubitent. Et ea quidem verba ſic a pleriſque intelligi audio, quaſi patrocinio ſuo defenſurum ſe, conſilioque inſtructurum in eam contentionem deſcendentes, Craſſus ſentiat, quam illi eſſe verbi *Præeſſe* vim exiſtimant: cui quantum ex antiqua Latine loquendi conſuetudine conjicere ac meminiſſe poſſum, in hac ſententia locus non eſt: tam enim cauſarum actores, quam conſultos, qui litigantibus iuris ſui perſequendi vias tradebant, & ius cauſarum actoribus, vt cum ASCONIO *ad Diuinat. Cic. c.* 4. *pag.* 20. loquar, ſuggerebant, *adeſſe*, non *præeſſe* dicebantur. Poſſunt innumerabilia de hac ſignificatione auctorum loca proferri, illuſtriora aliquot, ex quibus hoc aperte oſtendatur, propoſuiſſe contentus ero. CICERO *pro Cæcinna c.* 27. *Hoc loco percom-*

COMPOSVERVNT] Sed hanc lectionem, ab *Haloandro* excogitatam, iam alii ſatis exploſerunt. Optima lectio eſt: *augeſcente ciuitate*, *quia deerant quædam genera agendi*, *&c.* vid. *Ill. Bynckershakii Prætermiſſa ad h.* §.

IVDICIA DARE] Sed hoc pertinet ad magiſtratus, non ad iuris interpretes, quales Pontifices ſecundum Pomponium noſtrum. Si ergo fides quædam hiſce Pomponii verbis adhibenda eſt, ita explicari debent, Pontifices vnum quotannis ex collegio conſtituiſſe, qui interpretationi iuris præeſſet, adeoque & de iure publice reſponderet, vt poſtea omnes promiſcue fecerunt ICti.

CRASSI] CICERO eo loco non *Craſſum*, ſed *Scæuolam* loquentem introducit. *Præeſſem* in illo loco idem eſt ac *auctor ſuaſorque eſſem*: & ſic locus ſatis eſt planus, quem auctor verboſa ſua interpretatione obſcuriorem reddit.

DICEBANTVR] ICti, quatenus partibus adſiſtebant in iure iudicioue, *adeſſe* dicebantur: quatenus iura interpretabantur, *præeſſe* iuris ciuilis ſcientiæ, ſiue iuris interpretationi, recte dici poſſunt. Sic enim CICERO *lib.* 1. *de Oratore, cap.* 41. loquitur: *Primum, quia veteres illi, qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa, peruulgari artem ſuam noluerunt.*

modo cecidit, quod non adest is, qui paulo ante adfuit, & adesse nobis in hac Causa solet, Caius Aquilius. Idem in *Topicis, c.* 17. *Priuata iudicia maximarum quidem rerum in Iureconsultorum mihi videntur esse prudentia: nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant.* QVINTILIANVS *lib. vltimi cap.* 3. *Quid si forte iurisperitus illi non aderit?* Adde quod in Pomponio ea, quæ Ciceroni adstruitur, ferri interpretatio non potest: nec enim verisimile est, Pontifices tela agentibus subministrasse, aut iudicio contendentibus adfuisse. Et nostram interpretationem hæ quoque phrases comprobant, quæ in Cicerone nostrisque auctoribus crebro occurrunt: *Quæstioni, iudicio, iurisdictioni præesse. l.* 10. *qui iurisdictioni. D. de Iurisdict. l.* 81. *qui neque. D. de Iudic. l.* 1. §. 2. *postulare. D. de Postul. l. vlt. D. de aq. & aq. pluuia.*

ADFVISSE] Sed si verum est, solos olim Pontifices fuisse ICtos, nihil prohibet, quominus eos hanc operam litigantibus eo tempore præstitisse, statuamus. Neque enim illo tempore hoc munus vilius habebatur, quam postea, quum præclarissimi viri, qui summis magistratibus ac sacerdotiis fungebantur, illi se addicere non dubitauerint. Et si etiam liberaliter dare vellemus, Pontifices eo tempore in ipso iudicio non adfuisse, (quod olim ex Romuli instituto proprie patronorum officium erat) potuerunt tamen domi in solio sedentes consulentibus de iure respondere.

FINIS.



FRAN-

FRANCISCO BRISSONIO

P. Fontenaiensis Præfecturæ paredro
B. Brissonius F. S.

SEmper mihi curæ fuit, Pater, iuris ciuilis scientiam, ad quam ab ineunte penè ætate animi quadam inductione sum delatus, cum optimarum artium studiis coniungere, & adscitis vndique ornamentis illustrare. Hoc cum mihi bene ac feliciter euenisse sentiam, idem aliis vt faciant, auctor esse non dubitabo. Itaque aptissimum hoc & accommodatissimum efflorescenti nostræ ætati scribendi argumentum ratus, feci non inuitus, vt ex his, quæ a me in eo genere obiter notata erant, paucula quædam capita subsecivis horis delibarem. Quæ cum doctissimis hominibus, quorum apud me plurimum auctoritas valet, non indigna viderentur, quæ exirent, nihil putaui alienum me a meo pudore facturum, si meum in ornando iure ciuili studium diuulgato libello profiterer. Idque eo feci libentius, quod apud te, cui non negotii tantum, sed & otii nostri rationem constare volo, testatum relinquere cuperem, quibus in studiis, quod a forensibus exercitationibus datur, tempus consumam. Hoc consilio tibi istæ nostrorum scriptorum primitiæ offeruntur: quas etiam absque vlla nuncupatione nostra recte vindicares, cuius sumtu, cura, diligentia a prima pueritia liberaliter educatus, & in celeberrimis Galliæ scholis institutus, si quid sim adsecutus, (quod perexiguum esse non diffiteor) eius tu fructum a me repetere tuo iure potes. Quod ego ita esse plane adgnosco: nec iam obscure dissimulo, sed aperte præ me fero, cupiisse me aliquod meæ in te obseruantiæ fixum ad memoriam sempiternam monumentum extare. Eaque res facit, vt si minus ex his scriptis, ingenii laudem, pii certe animi & officiosæ voluntatis prædicationem, ab æquis æstimatoribus me consecuturum non desperem.

Vale. Lutetiæ Parisiorum Kalend. Iul.

M. D. LVI.

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIB. II.

C A P. I.

De ordine exercendorum Publicorum iudiciorum.

ORdinem exercendorum publicorum iudiciorum capitalium in vſu eſſe deſiiſſe, hodieque de criminibus publicis extra ordinem quæri, non ſemel Iureconſulti ſcribunt. *l.* 8. *ordo. D. de Publ. iud. l.* 15. *in ſenatuſconſultum.* §. 1. *D. ad* sc. *Turpillia. l.* 1. §. *vlt. l.* 13. *hodie. D. de Pœn.* Inde admonitus veterem capitalium quæſtionum exercendarum formam exponere inſtitui: rem mehercle ancipitem ac dubiam, maximisque tenebris inuolutam: ſed cuius cognitio non minus vtilis, quam iucunda futura eſt. Primum autem ad Quæſitorem, cui iudicii exercitio obtigiſſet,

OBSERVATIONES AD LIBRVM II.

CAP. I. Ad vberiorem huius capitis illuſtrationem conferendi ſunt ſcriptores, qui de Iudiciis Romanorum ex inſtituto egerunt. Tyronibus ſufficere poſſunt, quæ attulit *Ill. Heineccius* in *Syntag. Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit. vlt.* Multa etiam huc ſpectantia reperies apud Auctorem ipſum in Opere de *Form. Solenn. lib.* V. *pag.* 467. *ſeqq.* Cæterum notandum, Iudicia publica hic in ſenſu ſtricto eſſe accipienda: in ſenſu enim generaliori iudicia etiam extraordinaria, quin & iudicia populi, ſub publicis comprehenduntur: quæ quomodo inter ſe differant, ex ſcriptoribus laudatis diſcendum.

QVAESITOREM] Quæſitor, ſiue Quæſtor, in genere a quærendo nomen habet, & ratione originis vnum idemque ſignificat. VARRO *de lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 14. *p.* 21. *Quæſtores,* ait, *a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ triumuiri capitales nunc conquirunt: ab his poſtea, qui quæſtionum iudicia exercent, Quæſtores dicti.* Duplicis ergo præcipue generis erant Quæſtores. Alii enim conſtituebantur ad pecuniam publicam, ſiue in vrbe, ſiue in prouinciis, conquirendam, qui κατ' ἐξοχὴν dicebantur *Quæſtores:* (L. 2. §. 22. D. de O. I.) & *Quæſtores ærarii.* (vide TACITVM *Annal. lib.* XIII. *cap.* 28. & Inſcriptiones) Alii vero in crimina publica inquirebant, qui *Quæſitores,* ſiue *Quæſtores paricidi* dicebantur, (vid. FESTVS *voc. quæſtores* & *parici,* & L. 2. §. 23. D. de O. I.) & ſimpliciter etiam *Quæſitores.*

rei nomen deferebat is, qui accusare paratus erat, idque recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Subscribebat deinde in crimen, id est, vt PAVLVS in *l.* 3. §. 2. *item subscribere. D de accusat.* interpretatur, libello subscribebat se professum esse. Quæ res eum similitudine supplicii obstringebat. Hæc SENECA paucis comprehendit in lib. *de Morte Claudii: Ducit*, ait, *illum ante tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quærebat. postulat nomen rei recipi. edit. subscriptionem.* Subscribebant vero cum accusatoribus & alii, vt ex ASCONIO ad *fin. Milonianæ pag.* 205. & *in Argum. Cornelianæ*, *pag.* 124. & ex ipso CICERONE in *Diuinatio. c.* 15. 16. liquet. Sic PATERCVLVS *libro poster. c.*69. *Quo tempore Capito patruus meus Agrippa in Cassium subscripsit.* CAELIVS *lib.* VIII. *Epist. Cicer. ep.* 8. *Itaque fine vllo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit.* TACITVS *lib.*1. *Annal. c.*74. *Nec multo post Granium Marcellum Quæstorem Bithyniæ Quæstor ipsius Cepio Crispinus maiestatis postulauit, subscribente Romano Hispone.* SVETONIVS *in lib. de clar. Rhetorib. Donec ob ingenium & studium manumissus accusanti patrono subscripsit.* Reo autem ad Prætorem tracto ita accusatio, ASCONIO *in* II. *Verrin.* auctore, instituebatur, accusatore verbi gratia ita dicente: AIO TE SICVLOS SPOLIASSE. AIO TE CLODIVM OCCIDISSE. Quod si reus silentio ac taciturnitate excipiebat, nec quicquam contradi-

ASCONIVS PED. ad *Proœm. Action. in Verr. cap.* 10. *p.* 55. *Proprie*, ait, *Quæsitores dicuntur criminalium quæstionum.* Hinc primario Prætores illi, qui quæstionem aliquam exercebant, dicebantur *Quæsitores.* Vnde ASCONIVS *loc. cit.* vocem *Quæsitor* apud CICERONEM in *Proœm. Act. in Verr. cap.* 10. explicat: *Prætor de pecuniis repetundis quæstionem exercens.* Et ISIDORVS *Origg. lib.* IX. *cap.* 4. *Iidem* (scilicet Prætores) *& quæstores*, (scilicet appellantur) *quasi quæsitores, eo quod quæstionibus præsunt.* Aderat tamen præterea aliquis, qui Prætori in quæstione exercenda adsistebat, qui *Iudex quæstionis* plerumque quidem dicebatur, sed & interdum quoque *Quæsitor* non minus appellatus est. Et hinc ASCONIVS eodem *loc. cit.* paullo post Quæsitorem a Prætore distinguit his verbis: *Iunius Quæsitor fuit* (id est Iudex quæstionis) *in Cluentii causa, Verre prætore.* Quod ad confusionem euitandam probe notandum est.

IN II. VERRIN.] Siue in *Proœm. Action. in Verr. cap.* 1. *pag.* 44. Vario enim modo Orationes Ciceronis in Verrem numerantur. Auctor plerumque ab ipsa Diuinatione incipiens, continuo numero omnes in Verris causa habitas Orationes computat. Ego vero separatim Diuinationem, & deinde Proœmium Actionis in Verrem, siue Actionem I. tandemque quinque illas Orationes principales, siue Accusationes, vel Actionis II. libros V. suo ordine numerare soleo. Quod semel hic monuisse iuuat.

cebat,

cebat, lis æſtimabatur vt victo: ſin negabat, a magiſtratu dies inquirendorum criminum petebatur. Et hoc modo reus legibus interrogari dicebatur. CICERO *pro Domo ſua c.29. Quis me vnquam vlla lege interrogauit, quis poſtulauit, quis diem dixit?* SALLVSTIVS *in Catil coniura. c.18. P. Autronius & Pub. Sylla deſignati Coſs. legibus ambitus interrogati ſunt.* Interrogatio enim non ad magiſtratum, ſed ad accuſatorem refertur, vt idem SALLVSTIVS alio eiuſdem libri loco *c.* 31. indicat. *Ipſe*, ait, *Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo.* TACITVS *lib.* XIV. *Annal. c.* 46. *Damnatus iiſdem Coſs. Tarquitius Priſcus, Bithynis interrogantibus.* Idem *lib.* XVI. *Annal. c.* 11. *Quæ obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quod auctoritate eius concidiſſet, iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.* Poſt eam vero interrogationem in reatu reus conſtitutus dicebatur, ſi ASCONIO credimus, qui Reum fieri nihil aliud eſſe ait, quam apud prætorem legibus interrogari. Incidebat vero nonnumquam de accuſatore conſtituendo contentio, pluribus certatim ad accuſationem, cuilibet e populo patentem, vel præmii ſpe, vel laudis ſtudio, vel priuatarum inimicitiarum cauſa proſilientibus. Cuiuſmodi in accuſatione Verris inter Ciceronem & Cæcilium controuerſia extitit. Super ea re iudicium, ipſis quæſtionem iudicibus cognoſcentibus, reddebatur, quod diuinationem QVINTILIANO GELLIOQVE teſtibus appellabant. Et hoc quoque ipſis publicorum iudiciorum legibus cautum fuiſſe, auctor *Rhetoric. ad Herenn. lib.* 1. *c.* 12. declarat, vt ſi reo commodum eſſet, iudicium de accuſatore fieret, vtrum illi accuſare liceret. Rei nomine recepto, die plerumque decimo vtrumque & accuſatorem & reum, quantum ex ASCONIO *in Argument. Cornelia. pag.* 124. colligo, adeſſe Prætor iubebat: & ſpatium accuſatori ad probationes conquirendas dabat, quemadmodum in

ASCONIO] Loco paullo ante citato. Accurate ergo loquendo *legibus interrogari* ab *accuſatione* differt: ſtatim enim poſtquam nomen alicuius erat delatum, illudque receptum, reus *legibus interrogari* dicebatur: eam vero interrogationem poſtea ſolennis ſequebatur *accuſatio.* Vnde idem ASCONIVS *Accuſat. in Verr. lib.* II. *pag.* 113. *Quia Lepidus legibus tantum interrogatus, nec dum etiam cæperat accuſari.*

TESTIBVS] Vide QVINTILIANI *Inſtitutiones Orat. lib.* VII. *cap.* 5. & GELLII *Noct. Attic. lib.* II. *cap.* 4. Adde ASCONII PED. *Argumentum in Ciceronis Diuinationem.*

DABAT] Pro ratione ſcilicet cauſæ, modo longius, modo breuius. Præ-

Ver-

Verris accuſatione factum in CICERONE legimus. TACITVS *lib.* XIII. *Annal. c.* 52. *Syluanum magna pars accuſatorum circumſteterat, poſcebatque tempus euocandorum teſtium.* PLINIVS *lib.* III. *epiſt.* 9. *ad Minutia. Socios miniſtroſque Claſſici detulerunt, nominatimque in eos inquiſitionem poſtularunt.* Interdum autem ipſi reo inquiſitio permittebatur. Patet hoc ex eo, quod TACITVS *lib.* XIII. *Annal. c.* 43. Suillium repetundarum poſtulatum annuam inquiſitionem impetraſſe dicit, & quod PLINIVS *lib.* VI. *epiſt.* 5. *ad Vrſum* in Senatu actum refert, ſub exemplo Legis ambitus, an in futurum ad legem repetundarum adiiceretur, vt ſicut accuſatoribus inquirendi denuntiandique teſtibus poteſtas ea lege eſſet, ita reis quoque fieret. Iam quod ad iudices attinet, eos prætor ex decuriis conſcribebat, eorumque nomina in vrnam mittebat, & ex his numerum neceſſarium ſortiebatur. Ex eo numero accuſatori reoque integrum erat reiicere, quos ex aliqua cauſa ſuſpectos haberent. In reiectorum locum alios prætor ſubſortiebatur, quo legitimus numerus (qui legibus quibuſdam ampliſſimus definiebatur) conficeretur. His perfectis iureiurando conſcripti iudices, VT DIONYSIVS HALIC. *lib.* VII. *pag.* 447. & 453. oſtendit, adigebantur: iurabantque omnes in leges præter ipſum Prætorem. Iuratorum nomina libellis conſignabantur, & vbique habebantur: ſed & in arca reponebantur, ne ſelectorum vice aliis corruptis ſuppoſitis fraus aliqua fieri poſſet. Quæ omnia ab ASCONIO accurate *in* II. *Orat. in Verr.* exponuntur. Die vero cognitionis iudices, accuſatores & reos a præcone citari moris fuiſſe idem auctor *in* III. *Verr.* cum FESTO POMP. *lib.* XVI. *v. reus.*

cipue vero in cauſis repetundarum accuſatori longius ſpatium indulgendum erat ad cauſam inſtruendam, quia probationes plerumque ex prouinciis remotis erant petendæ. Vide CICERONIS *Orat. in Vatin. cap.* 14. ASCONII PED. *Argumentum Proœm. Act. in Verrem, pag.* 40. & *Comment. ad Action.* II. *lib.* I. *cap.* II. *pag.* 77. *ſeq.*

PERMITTEBATVR] Quid ſit inquiſitionem reo permittere, ego quidem non intelligo. Auctor ſine dubio vitioſis TACITI exemplaribus vſus eſt: nam in emendatioribus ita legitur: *Mox quia inquiſitionem annuam impetrauerant,* accuſatores ſcilicet. Id tamen ex loco PLINII allato patet, & reo aliquando, non minus quam accuſatori, permiſſum fuiſſe, vt teſtes ad ſuam defenſionem produceret. Adde PLINII *lib.* V. *Epiſt.* 20.

PRAETOREM] Quia is ſcilicet iam initio magiſtratus in leges iurauerat.

IN II. ORAT. IN VERR.] ſiue in *Comment. ad Proœm. Actionis in Verrem, cap.* 6. *pag.* 47. *ſeq.*

IN III. VERR.] ſiue in *Comm. ad Accuſat. in Verrem lib.* I. *cap.* I. *pag.* 69.

ſcribit. APVLEIVS *lib.* III. *de Aſino aur. Rurſum præconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exſurgit.* VALERIVS MAXIMVS *lib.* VI. *cap.* I. *Citatus itaque Scantinius reus, vno teſte qui tentatus erat, damnatus eſt.* Quod ſi citatus accuſator neque reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet, accuſatus e reis eximebatur, quemadmodum diſerte CICERO IV. *in Verr. orat.* & PAEDIANVS *in Cornel.* ſignificant. Sin iudicio vtraque pars aderat, oratoribus dicendi poteſtas fiebat: citabantur teſtes, palamque ac publice interrogabantur, eorum quoque dicta in promtu refellebantur. Cauſa vtrinque perorata præco dixiſſe oratores pronuntiabat, vt a QVINTILIANO *lib.* I. *cap.* 5. & ASCONIO *in* II. *Verrin.* ſcribitur: apud quem tamen pro *præcone* perperam, vt exiſtimo, *prætor* ſubditus eſt. Tum in conſilium iudices mittebantur, & ad ſententiam dicendam dimittebantur. Tabellas autem accipiebant iudices abſolutionis, condemnationis, & ampliationis litteris inſcriptas ac ſignatas, earumque aliquam, cum in conſilium miſſi fuerant, in ciſtam coniicere neceſſe habebant, antequam eis lege Glaucia comperendinandi data eſt poteſtas. Atque ex hoc ſollemni ordine nonnihil Pompeia lex immutauit. Ea enim, ASCONIO *in Argument. orat. Milonia. p.* 187. & 191. auctore, teſtes priuſquam cauſa ageretur, per triduum audiri, dictaque eorum a iudicibus conſignari iuſſit: quarta dein die omnes in poſterum adeſſe iuberi, ac coram accuſatore & reo pilas, in quibus iudicum nomina inſcripta eſſent, æquari: poſtera rurſus die ſortitionem iudicum fieri vnius & octoginta, qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi proti-

SIGNIFICANT] Vide CICERONIS *Accuſat. in Verrem lib.* II. *cap.* 40. & ASCONII *Argumentum in Orat. pro Cornelio, pag.* 124. Quid ſi vero reus non adeſſet? Tunc abſens condemnabatur, iuxta ASCONIVM in *Comm ad Orat. pro Milone, in fine, pag.* 205. *ſeq.* Quod Auguſtum denuo conſtituiſſe, teſtatur DIO CASS. *lib.* LIV. *pag.* 523.

IN II. VERRIN] ſiue in *Comm. ad Proœm. Action. in Verr. in fine, pag.* 65.

SVBDITVS EST] Vide *Hottomanni* notas ad hunc locum, *pag.* 229.

MITTEBANTVR, ET AD] Rectius ſcripſiſſet auctor: *Tum in conſilium iudices mittebantur, id eſt ad ſententiam dicendam dimittebantur.* Poſterior enim phraſis prioris eſt interpretatio, vt docet nos ASCONIVS in *Comm. ad Accuſat. in Verr. lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 77. his verbis: *Nam mittere iudices in conſilium, eſt dimittere iudices ad ſententiam dicendam, vbi, allegatis omnibus argumentis, orator dixerit:* DIXI.

LITTERIS] Nimirum A. id eſt *abſolvo*; C. id eſt *condemno*; N L. id eſt *non liquet*, quæ nota ampliationis.

DATA EST POTESTAS] Lege hic omnino ASCONIVM PED. in *Comm. ad Accuſat. in Verrem lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 75. *ſeq.* & FESTVM *voc. res compe-*

nus

nus sessum irent, accusatorique duæ ad dicendum horæ, reo tres darentur: illoque ipso die reus iudicaretur. Ita tamen, vt priusquam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusatori, totidem reo reiicere liceret. De hac lege illud accipiendum est, quod initio *lib.* IV. *de Finib.* CICERO ita scribit: *Cum ego te hac noua lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare.* Meminit & huius legis in *Bruto*, *c.* 94. qua veluti frenos eloquentiæ impositos TACITVS *in lib. de Oratorib. c.* 38. dixit ob conclusam tam exiguo temporis spatio causarum actionem. Quam obseruationem posterioribus temporibus neglectam reperio. Nam & PLINIVS *lib.* II. *epistol.* 11. Arriano, horis pene quinque egisse se narrat. Sed & antiqua illa omnis iudiciorum sollemnitas, occupata & euersa ab Imperatoribus populi libertate, ex vsu excessit.

CAP. II.

Obseruata veterum in concipiendis Sententiis verba.

VEteribus vsitatum in concipiendis sententiis morem hunc fuisse, quæ iurati iudices cognouissent, ea non vt esse facta, sed VIDERI pronuntiarent: BVDAEVS *ex Cicerone Acad.* IV. *c.* 47. *& Plinio lib.* XIV. *cap.* 13. *& l.* 1. *§.* 1. *D. ad Turpillian.* obseruauit. Quod ego aliis Iureconsultorum aliorumque auctorum locis confirmabo. PAPINIANVS in *l.* 20. *ob hæc. D. de His qui notant. infam. Ob hæc verba*, ait, *sententiæ præsidis:* CALLIDO COMMENTO VIDERIS ACCVSATIONIS INSTIGATOR FVISSE. Refertur & in *l.* 3. *proxime. D. de his, quæ in test. delent.* sententia Prudente & Pollione Coss. ab Antonino Aug. dicta, in hæc verba: *Cum Valerius Nepos mutata voluntate inciderit testamentum suum, & heredum nomina induxerit, hereditas eius secundum Diui patris mei constitutionem ad eos, qui scripti sunt, pertinere non videtur.* CICERO IV. *in Verr. Actio.* siue *Accusat. lib.* II. *cap.* 38. *Vix hoc ille dixerat, cum iste pronuntiauit: Sthenium litteras publicas corru-*

rendinata, ibique Dacerii notas: ex quibus peti possunt, quæ ad illustrationem huius loci pertinent.

CAP. II. Cùm hoc capite conferri potest Auctoris Opus de *Form. Solem. lib.* V. *pag.* 492. *seq.*

piſſe videri. Et paulo poſt, *cap.* 41. *Omnium ſententia pronuntiatum eſt: Non videri Sthenium impediri edicto.* SALLVSTIVS *in Catilin. coniurat. c.* 48. *Conſulente Cicerone frequens Senatus decreuit: Tarquinii indicium falſum videri.* TACITVS *lib.* XIV. *Annal. c.* 43. *Pronuntiemus vltro dominum iure cæſum videri.* FESTVS *etiam lib.* XV. *v. parum.* ita veteres cum capitis condemnabant, pronuntiaſſe tradit: PARVM CAVISSE VIDERI. Centumuiralem quoque in querela inofficioſi teſtamenti pronuntiationem, ex PLINIO *lib.* V. *Epiſt.* I. *ad Seuer.* hoc modo conceptam fuiſſe intelligimus: VIDERI PATREM IVSTAS IRASCENDI FILIO CAVSAS HABVISSE. Idem in ſenatuſconſultis, augurumque ac pontificum decretis ſeruatum LIVIVS *lib.* XXIII. *c.* 31. & *lib.* XXV. *c.* 7. & CICERO *lib.* IV. *Epiſt.* 2. *ad Attic.* & auctor *Rhetoric. ad Herenn. lib.* I. *c.* 2. demonſtrant. Interdum tamen aliter quoque pronuntiaſſe iudices inuenio. Atilium namque Calatinum inter Valerium & Luctatium iudicem ſumtum ita pronuntiaſſe VALERIVS MAX. *lib.* II. *cap.* 3. refert: *Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris, ſecundum te litem do.* SENECA *in præfat. lib.* VII. *ſiue* III. *Declamat. Summa rei hæc fuit. Centumuiri dixerunt, dare ipſos ſecundum aduerſarium Albutii ſi iuraſſet.* MACER in *l.* 1. *D* §. 1. *Quæ ſentent. ſine appell. reſci.* Si iudex, ait, ita pronuntiauerit; *Cum conſtet Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta, item ex illa* XXV. *debere, idcirco L. Titium Seio centum condemno.* VLPIANVS in *l.* 59. *in ſententiis. D. de Re iud.* Si tamen, inquit, is qui petit, ſummam expreſſerit, & iudex ait: *Solue, quod petitum eſt,* vel *Quantum petitum eſt,* valere ſententiam. Idemque in *l.* 12. *quid tamen.* §. 3. *Pomponius. D. de Recept. qui Arbitr.* incertæ ſententiæ hæc exempla profert: *Quantum ei debes, redde: Diuiſioni veſtræ ſtari placet, pro ea parte, quam ſoluiſti creditoribus, accipe:* Proponitur & in *l.* 32. *ſi præſes. D. de Pœn.* ita interlocutus præſes. *Vim feciſti.* Eſt & hæc irrogandæ relegationis expreſſa forma: *Illum prouincia illa, inſulisque illis relego.*

CAP. III.

Vnde originem habuerit Medicis conceſſa immunitas.

SEro Romæ medicina coli, & in aliquo pretio haberi cœpit. Diu vt ingenuo homine indigna, neglecta, & ad ſeruos liber-

CAP. III. Ad hoc & ſequens caput conferendi omnino ſunt ſcriptores hiſto-

tinos-

tinosque ablegata est, quos solos fere medicinam factitasse exemplis prope infinitis demonstrari potest. Ex quibus notiora & illustriora seligam. SVETONIVS *de Nerone, c.* 2. *In desperatione rerum*, ait, *mortem timore appetitam ita expauit, vt haustum venenum pœnitentia euomuerit, medicumque manumiserit, quod minus noxium temperasset.* QVINTILIANVS *lib.* VII. *cap.* 2. *Pollio*, inquit, *contra seruisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienæ se familiæ immiscuisse.* SENECA *lib.* III. *de Benefic. cap.* 24. *Tenebatur inclusus Domitius, imperauit medico, eidemque seruo suo, vt sibi venenum daret.* CICERO denique in *Orat. pro rege Deiot.* Philippum medicum seruum fuisse non vno loco indicat. Et ne nostris omissis aliena laboriosius consecter, huius quoque rei non obscura dant indicia *l.* 25. *patronus.* §. 2. *l.* 26. *medicus. D. de Oper. libert. l.* 16. *alimenta.* §. 1. *D de Alim. leg. l.* 41. *Thais.* §. 6. *Lucius. D. de fideic. libert. l.* 1. §. 5. *sin autem. C. de Con. ser. man.* Itaque & in familia medicos seruos artificum numero locoque habitos ex VARRONE *lib.* 1. *de re Rust. cap.* 16. & GALENO *in lib. de Curatio. per sang. missio.* patet. Primus, quemadmodum TRANQVILLI *in vita Iulii Cæs. c.* 42. auctoritate adductus, existimo, Iulius Cæsar medicinam professos Romæ ciuitate donauit. Augustus deinde, cum Antonii Musæ liberti opera graui ac periculoso morbo afflictam valetudinem recuperasset, in beneficii præmium, laborisque eximii mercedem, Musæ ipsi præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum ius,

riæ Medicæ: in primis *Congersii Middleton* Dissertatio *de medicorum apud veteres Romanos conditione*: de qua vide *Acta Erud.* A. 1726. *p.* 256. & A. 1727. *p.* 127. Vide præterea *Dempsteri Par. ad Rosini Antiqq. Rom. lib.* II. *cap.* 17. *Fontanini Antiquitates Hort. lib.* 1. *cap.* 9. §. 2. *Menagii Amœnitates Iuris Ciu. cap.* 35. *V. Excell. Euerh. Ottonis librum de Ædilibus Colon. & Municip. c.* 6. §. 7. *p.* 161. *seqq. Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 25. §. 19. Ex veteribus legi præsertim meretur PLINIVS in *Historia Nat. lib.* XXIX. *cap.* 1. ex quo hic annotare lubet, A. V. C. 535. M. Liuio & L. Æmilio Coss. primum medicum, nomine *Archagathum*, ex Græcia Romam venisse, eique ius Quiritium datum fuisse. Sed quum ille secandi vrendique sæuitia medicos odiosos reddidisset, postea vltra annum 600. ab V. C. sine medicis fuerunt Romani. Postea ergo sine dubio primi medici Romæ fuerunt serui, ex Græcia in Italiam asportati: deinde vero, postquam Romæ medicina jam in aliquo pretio esse cœpit, liberi quoque homines ad medicinam exercendam ex Græcia Romam venerunt, qui sub Imperatoribus non modo ciuitate donati, sed & maximis præmiis aucti sunt. Testatur tamen Plinius de suis adhuc temporibus, paucissimos Romanorum hanc artem attingere.

vniuerso vero medicorum ordini a muneribus ciuilibus immunitatem dedit. Quod DION. *lib.* LIII. *pag.* 517. his verbis retulit: *καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλὰ, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι, τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ, καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις, ἔλαβεν. Quamobrem & ab Augusto, & a senatu, pecuniam multam accepit, iusque aureorum annulorum; (libertus enim erat) prætereaque immunitas, non ipsi tantum, sed omnibus eandem artem & nunc, & in posterum exercentibus, concessa est.* Hoc amplius, statuam ei patres ære collato iuxta signum Æsculapii statuisse TRANQVILLVS *in vita August. c.* 59. auctor est, cuius beneficio Augustum conseruatum PLINIVS quoque *lib.* XIX. *cap.* 8. & *lib.* XXV. *cap.* 7. & *lib.* XXIX. *cap.* I. memorat. Atque hisce in Musam collatis honoribus ornata medicina, paullatim ad aliquem amplitudinis gradum peruenit. Confirmata enim est Vespasiani, Hadriani, aliorumque Imperatorum rescriptis, medicis data ab Augusto immunitas, *l. vlt. in fin. D. de Munerib. & honorib.* tandemque ad certum numerum reuocata, verentibus Imperatoribus, ne eo proposito præmio ad medicinam quisque ciuilium munerum euitandorum caussa animum adiungeret. Itaque in singulis ciuitatibus medicorum, qui immunitate fruerentur, numerum definiri placuit: eaque de re MODESTINVS epistolam Antonini Pii refert in *l* 6. §. 2. *D. de Excusat. tut.* eiusque statuti numeri meminere *l.* 1. *D. de Decret. ab ord. fac. l.* 1. & *l.* 5. *de Professorib. & med. lib.* X. *C.* Nec tamen intra eum numerum qui erant ordine inuito, vt a Diocletiano sæpius rescriptum dicitur, immunitatem habebant. *l.* 5. *nec intra. C. de Professorib. lib.* X. *C.* Quod argumento est, decreto decurionum vel iis, qui statuto numero continebantur, immunitatem tributam fuisse. Cæterum valde artis suæ decus Commodi temporibus CLAVD. GALENVS auxit, cui summos Romæ honores habitos, statuamque publice positam ferunt. Secutus aliquo interuallo Alexander medicis annonas, LAMPRIDIO *teste, in vita Alex. c.* 42. addidit: sed & data medicis a superioribus Principibus beneficia *Impp. Constantinus, Honor. & Theod.* confirmarunt, quorum in Iustinianeo Theodosianoque Codice etiamnum constitutiones extant. *Tit. de Medicis & Professoribus.* Quorum omnium vestigiis insistens IVLIANVS, oneribus municipalibus medicos

Græca constitutione liberauit, quam ex eius Epistolis, quod ad rem faciat, huc transcribere dignum putaui. Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὰ τῶν ἐπισυμβαινόντων ἀῤῥωστημάτων ἐπανορθοῦται, διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεύουσιν θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν. *Artem medicam hominibus salutarem esse, vsus ipse demonstrat. Quare eam e cælo delapsam, non immerito philosophi prædicant. Etenim naturæ nostræ infirmitas, & valetudinis offensiones, quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem, sicut æquitatis ratio postulat, nos superiorum Imperatorum auctoritatem & vocem secuti, pro nostra humanitate iubemus, vos senatoriis muneribus liberos in posterum viuere.* Quæ constitutio etiam Latine reddita extat in *l. 4. ratio æquitatis. de Medic. & Profess. in Cod. Theod.*

CAP. IV.

Medicos olim χειρέργους *fuisse demonstratur.*

QVoniam in Medicorum sermonem venimus, prætermittendum non puto, idcirco ignobilius medicorum munus fuisse, quod ipsimet manibus suis olim venas inciderent, medicamenta præberent, clysteres, emplastra, collyria admouerent, iisdemque omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur. Cuius rei ex libris quoque nostris non dubia argumenta promi possunt: vel illud inprimis, quod aduersus medicum, qui imperite seruum secuerit, ex locato, vel ex l. Aquilia actionem dari, tra-

FVNGERENTVR] Ast non omnes tamen promiscue hoc fecerunt. Quemadmodum enim iam antiquitus Medicina ipsa in tres partes diuisa fuit, διαιτητικὴν scilicet, φαρμακευτικὴν, & χειρουργικὴν: ita etiam Medicorum alii hanc, alii aliam tantum partem professi sunt, vt ex CELSI Præfatione ad *lib.* 1, & VII. *de re medica* apparet. Immo iuxta *L. 1. D. de extraord. cognit.* fuerunt etiam, qui alicuius tantum corporis partis, vel certi doloris sanitatem pollicerentur. Hinc in antiquis monumentis crebro occurrunt Medici, vulnerarii, ocularii, chirurgi, clinici, iatraliptæ. &c. Omnes tamen sub communi medicorum appellatione comprehendebantur, quod vel ideo probe notandum, ne tota illa, vtrum medici olim simul fuerint chirurgi, disputatio in logomachiam euadat.

ditur

ditur in *l.* 7. *qua actione.* §. *vlt.* & *l.* 8. *idem iuris. D. ad Leg. Aquil.* Et quod in instrumento medici collyria, emplastra, ferramenta a PAVLO poni legimus. in *l.* 18. *cum de lanionis.* §. 10. *in instrumento. D. de instruc. & instr.* & *lib.* III. *Sentent titul.* VI. §. 62. hoc idem aliorum quoque auctorum testimoniis perspicue comprobatur, quorum me multitudo ipsa pene obruit. CICERO *in Piso. c.* 34. *Sed ei medico, quem tecum duxeras, imperasti, vt venas hominis incideret.* LAMPRIDIVS *in Commodo, cap.* 11. *Imitatus est & medicum, vt sanguinem hominibus mitteret scalpris feralibus.* SENECA *lib.* VII. *epist. Numquid æger laudat medicum secantem?* Accedat & SVETONII *in Ner. cap.* XXXVII. locus, & quod PLINIVS *lib.* XXIX. *cap.* I. scribit, Artagathum medicum a sæuitia secandi vrendique in carnificem transiisse. GALENVS plane ipse in *lib. de curatio. per sanguin. missio.* venas se aperuisse aliquotiens narrat. Hinc & forcipes secandi causa medicis a SOSIPATRO tribuuntur, quos præterea vulneribus manus attulisse, & inunxisse, virilitatem excidisse, aliaque omnia per se expleuisse, ad quæ aliena nunc opera vtuntur, vt aliquem modum faciam, PLINIVS *lib.* VII. *cap.* 3. SENECA *lib.* III. *de ira.* GELLIVS *lib.* XII. *cap.* 5. PAVLVS *lib.* V. *Sentent. titul.* XXII. §. 3. VLPIANVS *in l.* 4. §. *vlt. D. ad Legem Cornel. de sic.* probant.

CAP. V.

Qui sint Caligati milites, & vnde appellentur.

PArum liquet, quo sensu caligati milites appellentur in *l.* 2. *pr. D. de his qui not. infa. l.* 21. *a caligato. C. de nup. l.* 9. *de militibus. D. de custod. reo. l.* 6. *omne.* §. 5. *D. de re milit.* Idque in controuersiam a plerisque vocari scio. IVSTINIANVS certe in *Nou.* LXXIV. *Quib. mod. natur. efficiant. legit. c.* 4. §. 3. Caligatos viliores, & obscuriores, & quos gregarios dicimus, milites interpretatur. Quam interpretationem SVETONII verba hæc in *Augusto, c.* 25. comprobant: *Murales coronas quam parcissime & sine ambitione etiam caligatis tribuit.* Idem in *Vitellio, c.* 7. *Veterem de se persuasionem*

DE IRA] *Cap.* 39. Adde eiusdem *lib.* I. *de ira, cap.* 5. *Consolat. ad Marc. cap.* 22. & *Epistolam* 95.

CAP. V. Ad hoc & duo sequentia capita conferendi sunt scriptores de militia Romanorum: in specie vero ad hoc caput scriptores de calceis veterum Romanorum, inprimis *Iulii Nigronii* liber *de caliga*, legi vtiliter possunt.

Vitellius

Vitellius recentibus etiam de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum obuios exosculans. Nec appellationis huius ratio obscura est. A caliga enim nomen ductum est, quod vulgare fuisse constat vel infimi ordinis militum calceamentum. Vnde & Imperatori CAIO, *Caligulæ* cognomen tributum TACITVS *lib.* I. *Annal. c.* 41. & DION *lib.* LVII. *pag.* 605. tradunt, quod in castris genitus, & contubernio legionum eductus, plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum vteretur. Sic Ventidium Bassum iuuentam inopem in caliga militari tolerasse: & sic a caliga Marium ad consulatum perductum SENECA *lib.* V. *de Benefic. cap.* 16. & PLINIVS *lib.* VII. *cap.* 43. scribunt. Nec tamen gregarios solum, sed & ipsos centuriones, ducesque in castris caligatos fuisse indicio est, quod Iulianum centurionem, caligas creberrimis atque acutis clauis ceterorum militum more fixas gestantem, dum strato saxeis crustis solo curreret, lapsum IOSIPPVS *lib.* VII. *de bello. Iud. cap.* 3. refert. Ex quo coniicio commune omnium, qui in castris versabantur, id calceamentum fuisse, quod & a DIONE *l. c.* στρατιωτικὸν ὑπόδημα appellatur. Sed enim in caligarum ornatu facile potuit elucere gregariorum & clariorum militum differentia. Clauis enim caligæ figebantur, iisque vel ferreis, vel argenteis, vel aureis, vt quisque luxu atque opibus diffluebat. Atque in exercitu quidem Antiochi Syriæ regis tantum auri argentique fuisse, memoriæ a VALERIO *lib.* IX. *cap.* I. *ext.* 4. & IVSTINO *lib.* XXXVIII. *c.* 10. proditum est, vt etiam gregarii milites caligas auro figerent. Caligares inde claui a PLINIO *Hist. Nat. lib.* IX. *cap.* 18. *lib.* XXII. *cap.* 22. & *lib.* XXXIV. *cap.* 14. & a SOSIPATRO *lib.* I. *Instit. Grammat.* & ab ISIDORO *lib.* XVI. *cap.* 20. memorantur: eoque pertinere IVVENALIS iste versus creditur: (*Sat.* III. *v.* 248.)

Et in digito clauus mihi militis hæret.

Ab vrbe autem in castra transiisse eam auratorum clauorum luxuriam credibile est. Nam & vrbana calceamenta eiusmodi clauis suffigi solita PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 3. FESTVS *lib.* III. *v. clauata.* & ISIDORVS *lib.* XIX. *Etymol. cap. vlt.* indicant. Et in Græcia quoque eundem luxum viguisse ex eo apparet, quod A-

VTERETVR] Sic etiam SVETONIVS in vita *Calig. cap.* 9. *Caligulæ cognomen*, ait, *castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.*

CALIGARES] siue *caligarii clauis* ita enim promiscue vocantur.

gnonem Teium Alexandri Magni præfectum aureis clauis crepidas suffigere solitum PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 3. scribit.

CAP. VI.

De veteri Militaris Ordinis conferendi ritu.

EOs, qui militiæ nomen dabant, non prius militum numero habitos, quam iureiurando adacti, cincti, & in numeros relati essent, librorum nostrorum auctoritate comprobatur. Sacramenti certe militaris meminit *l.* 2. *D. de Priuileg. veter. l.* 11. *miles. D. ad l. Iul. de adult. l.* 13. *milites.* §. 3. *missionum. l. vlt. D. de re milit. l.* 2. §. 3. *D. de His qui not. infam.* eiusque fide rupta militis nomen amitti docet *l.* 11. *ex militari. D. de Milit. test.* Hoc vero primum militiæ vinculum SENECA *lib.* XV. *Epist.* merito appellat, quo qui nondum obstricti, aut etiam qui soluti essent, iure cum hostibus, quemadmodum *Catonis* ad Popilium epistola a CICERONE *lib.* 1. *Officior. c.* 11. & a PLVTARCHO *in Problemat. n.* 38. relata indicat, pugnare posse non videbantur. Primum autem iureiurando milites fieri L. Flacco & Varrone Coss. coepere. *Antea enim*, ait FRONTINVS *lib.* IV. *Stratagemat. cap.* 1. *num.* 4. *sacramento tantummodo a Tribunis rogabantur: ceterum ipsi inter se coniurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, feriendiue hostis, aut ciuis seruandi causa.* LIVIVS *lib.* XXII. *c.* 38. *Milites tunc, quod numquam antea factum erat, iureiurando a Tribunis militum adacti, iussu Coss. conuenturos neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat*, id est Consulibus & senatui præstitum: de quo DIONYSIVS HALICAR. *lib.* X. *pag.* 644. *seq.* verba accipienda sunt: συναγαγὼν τὸ πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν, εἶπεν ὅτι πάντες

CAP. VI. Ad hoc caput inprimis conferendi sunt auctores, qui de sacramento militari scripserunt. Vide etiam Auctoris librum IV. de *Form. Solemn. init. pag.* 337. *seqq.*

EPIST.] Intelligit forsan Auctor locum in *Epistola* 37. vbi SENECA ait: *Quod maximum vinculum est, ad bonam mentem, promisisti virum bonum. Sacramento rogatus es.*

COEPERE] Ita FRONTINVS, cuius verba sunt: *L. Flacco & C. Varrone Coss. milites primo iureiurando facti sunt.* Sed in alterius Consulis nomine vel auctor errat, vel codices deprauati sunt: nam ex aliis fide dignis auctoribus constat, hoc factum fuisse L. Æmilio Paulo & C. Terentio Varrone Coss. A. V. C. 538. Confer *Interpp* ad *h. l.*

PRAESTITVM] Ex hisce quidem ὁμω-

ὀμωμόκασι τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις ἐφ' οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τῷ δήμῳ. *Aduocata concione, commonefecit omnes militaris sacramenti, quo singuli promisissent, secuturos se consules, ad quodcunque vocarentur bellum, nec deserturos signa, nec quicquam contra populi maiestatem commissuros.* Iureiurando vero scripti milites a Tribuno militari adactos fuisse in verba hæc GELLIVS *lib.* XVI. *cap.* 4. retulit: *in magistratu C. Lælii C. Filii Cos. L. Cornelii P. Filii Cos. In exercitu, decemque millia passuum prope furtum non facies, & cæt.* Atque hoc in legitima militia seruabatur: in tumultu enim singuli milites sacramento propter imminentis periculi celeritatem non rogabantur, vt a SERVIO *in Virgil. Æneid.* traditur. Cæterum sub Christianis Imperatoribus ita conceptam iurisiurandi militaris formulam VEGETIVS *lib.* II. *cap.* 5. ostendit, vt iurarent milites per Deum, Christum, & spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se facturos, quæ præciperet Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Rom. Republica. Addit ISIDORVS *lib.* IX. *Etymol. cap.* 3. iurasse eos, militia se nisi post completa stipendia non recessuros, id est, post impleta legitima militiæ tempora, quæ idem auctor XXV. annorum spatio definita scribit, secutus, credo, SERVIVM, qui in *Æneid. Virgilii* idem tradit. Qua tamen in re variatum est. Augustum TRANQVILLVS *in eius vita c.* 49. auctor est, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam milites adstrinxisse, definitis pro gradu cuiusque & temporibus militiæ, & commodis missionum. Tempora ea fuisse DION *lib.* LIV. *pag.* 539. exponit, vt XII. annis Prætoriani milites, reliqui sexdecim militiæ obstricti tenerentur. Præto-

locis satis apparet, fuisse olim quoque sacramentum aliquod sine iureiurando: postea vero illud cum iureiurando fuisse coniunctum. Differentiam tamen inter vtrumque, licet a multis tentatum, in silentio veterum, non posse exacte definiri existimo.

TRADITVR] Loca huc spectantia sunt: ad *Æneid.* II. *v.* 157. & ad *libr.* VII. *v.* 614. & ad *lib.* VIII. *v.* 1. Adde DONATVM ad *Terentii Eunuch. Act.* IV. *sc.* 7. *v.* 2. & ISIDORVM *Origg. lib.* IX. *cap.* 3.

IDEM TRADIT] Vide loca in nota præcedenti indicata.

TENERENTVR] Id quod tamen haud diu obseruatum fuisse necesse est: nam paullo post, sub ipso Augusto, vt narrat DIO *lib.* LV. *pag.* 563. constitutum fuit, vt Prætorianis exactis annis sexdecim militiæ viritim vicena millia nummum; reliquis exactis demum viginti militiæ annis duodena darentur.

gnonem Teium Alexandri Magni præfectum aureis clauis crepidas suffigere solitum PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 3. scribit.

CAP. VI.

De veteri Militaris Ordinis conferendi ritu.

EOs, qui militiæ nomen dabant, non prius militum numero habitos, quam iureiurando adacti, cincti, & in numeros relati essent, librorum nostrorum auctoritate comprobatur. Sacramenti certe militaris meminit *l.* 2. *D. de Priuileg. veter. l.* 11. *miles. D. ad l. Iul. de adult. l.* 13. *milites.* §. 3. *missionum. l. vlt. D. de re milit. l.* 2. §. 3. *D. de His qui not. infam.* eiusque fide rupta militis nomen amitti docet *l.* 11. *ex militari. D. de Milit. test.* Hoc vero primum militiæ vinculum SENECA *lib.* XV. *Epist.* merito appellat, quo qui nondum obstricti, aut etiam qui soluti essent, iure cum hostibus, quemadmodum *Catonis* ad Popilium epistola a CICERONE *lib.* I. *Officior. c.* 11. & a PLVTARCHO *in Problemat. n.* 38. relata indicat, pugnare posse non videbantur. Primum autem iureiurando milites fieri L. Flacco & Varrone Coss. cœpere. *Antea enim*, ait FRONTINVS *lib.* IV. *Stratagemat. cap.* 1. *num.* 4. *sacramento tantummodo a Tribunis rogabantur: cæterum ipsi inter se coniurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, feriendiue hostis, aut ciuis seruandi causa.* LIVIVS *lib.* XXII. *c.* 38. *Milites tunc, quod numquam antea factum erat, iureiurando a Tribunis militum adacti, iussu Coss. conuenturos neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat*, id est Consulibus & senatui præstitum: de quo DIONYSIVS HALICAR. *lib.* X. *pag.* 644. *seq.* verba accipienda sunt: συναγαγὼν τὸ πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν, εἶπεν ὅτι πάντες

CAP. VI. Ad hoc caput inprimis conferendi sunt auctores, qui de sacramento militari scripserunt. Vide etiam Auctoris librum IV. de *Form. Solenn. init. pag.* 337. *seqq.*

EPIST.] Intelligit forsan Auctor locum in *Epistola* 37. vbi SENECA ait: *Quod maximum vinculum est, ad bonam mentem, promisisti virum bonum. Sacramento rogatus es.*

COEPERE] Ita FRONTINVS, cuius verba sunt: *L. Flacco & C. Varrone Coss. milites primo iureiurando facti sunt.* Sed in alterius Consulis nomine vel auctor errat, vel codices deprauati sunt: nam ex aliis fide dignis auctoribus constat, hoc factum fuisse L. Æmilio Paulo & C. Terentio Varrone Coss. A. V. C. 538. Confer *Interpp* ad *h. l.*

PRAESTITVM] Ex hisce quidem

ὁμω-

ὀμωμόκασι τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις ἐφ᾽ οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τοῦ δήμου. *Aduocata concione, commonefecit omnes militaris sacramenti, quo singuli promisissent, secuturos se consules, ad quodcunque vocarentur bellum, nec deserturos signa, nec quicquam contra populi maiestatem commissuros.* Iureiurando vero scripti milites a Tribuno militari adactos fuisse in verba hæc GELLIVS *lib.* XVI. *cap.* 4. retulit: *in magistratu C. Lælii C. Filii Cos. L. Corneli P. Filii Cos. In exercitu, decemque millia passuum prope furtum non facies, & cæt.* Atque hoc in legitima militia seruabatur: in tumultu enim singuli milites sacramento propter imminentis periculi celeritatem non rogabantur, vt a SERVIO *in Virgil. Æneid.* traditur. Cæterum sub Christianis Imperatoribus ita conceptam iurisiurandi militaris formulam VEGETIVS *lib.* II. *cap.* 5. ostendit, vt iurarent milites per Deum, Christum, & spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se facturos, quæ præciperet Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Rom. Republica. Addit ISIDORVS *lib.* IX. *Etymol. cap.* 3. iurasse eos, militia se nisi post completa stipendia non recessuros, id est, post impleta legitima militiæ tempora; quæ idem auctor XXV. annorum spatio definita scribit, secutus, credo, SERVIVM, qui in *Æneid. Virgilii* idem tradit. Qua tamen in re variatum est. Augustum TRANQVILLVS *in eius vita c.* 49. auctor est, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam milites adstrinxisse, definitis pro gradu cuiusque & temporibus militiæ, & commodis missionum. Tempora ea fuisse DION *lib.* LIV. *pag.* 539. exponit, vt XII. annis Prætoriani milites, reliqui sexdecim militiæ obstricti tenerentur. Præto-

locis satis apparet, fuisse olim quoque sacramentum aliquod sine iureiurando: postea vero illud cum iureiurando fuisse coniunctum. Differentiam tamen inter vtrumque, licet a multis tentatum, in silentio veterum, non posse exacte definiri existimo.

TRADITVR] Loca huc spectantia sunt: ad *Æneid.* II. *v.* 157. & ad *libr.* VII. *v.* 614. & ad *lib.* VIII. *v.* 1. Adde DONATVM ad *Terentii Eunuch. Act.* IV. *sc.* 7. *v.* 2. & ISIDORVM *Origg. lib.* IX *cap.* 3.

IDEM TRADIT] Vide loca in nota præcedenti indicata.

TENERENTVR] Id quod tamen haud diu obseruatum fuisse necesse est: nam paullo post, sub ipso Augusto, vt narrat DIO *lib.* LV. *pag.* 563. constitutum fuit, vt Prætorianis exactis annis sexdecim militiæ viritim vicena millia nummum; reliquis exactis demum viginti militiæ annis duodena darentur.

rias tamen cohortes Tiberio imperante post impleta demum sexdecim stipendia missionem impetrasse, & commoda finitæ militiæ accepisse, TACITVS *lib.* 1. *Annal. c.* 17. testatur. Quod beneficium etiam Pannonicis legionibus tumultus sedandi causa ab eodem Tiberio concessum, cum reliquis extra Italiam militantibus non nisi post xx. annorum militiam missio daretur, DION *lib.* LVII. *pag.* 606. refert. Idque tempus sequentibus Imperatoribus probari video, quibus post xx. annorum stipendia non ex causa ignominiæ missos veteranorum priuilegiis frui placet. *l.* 1. *C. de Excus. veter. l.* 2. *de Re milit. lib.* XII. *C. l.* 9. *veteranis. C. Quando prouoc. non est nec. l. vlt. C. de His qui non implet. stip. lib.* X. Sacramento porro milites etiam ante decursa stipendia honeste plerumque soluebantur valetudinis, vel ætatis iam ingrauescentis causa, ex Imperatoris indulgentia missi facti. *l.* 2. *D. de Priuil. veter. l.* 2. *§.* 2. *ignominiæ. D. de his qui not. infam.*

CAP. VII.

De Militum cingendorum & discingendorum ratione.

EXposito militaris sacramenti ritu, consequens est, vt reliqua militiæ sollemnia, a me initio huius sermonis proposita, exequar. Cingi vero consueuisse eos, qui inter milites recipiebantur, ex *l.* 43. *filiusfam.* & *l.* 25. *Titius.* & *l.* 38. *quod dicitur. §.* 1. *D. de Mil. test.* facile colligi potest. Id quod in his quoque, qui Præfectura ornabantur, obseruatum fuisse indicio est, quod XIPHILINVS de Traiano *lib.* LXVIII. *pag.* 778. ita scribit: τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν, τὸ ξίφος, ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν, ὤρεξεν, ἐγύμνωσέ τε αὐτό. *Quum Præfecti prætorio munere functuro gladium, quo cingendus erat, porrigeret, nudauit illum, &c.* Fluxit autem mos iste ex eo, quod qui militabant, omnes

Ex quo intelligitur, neque DIONEM cum TACITO pugnare, ceu *Lipsius* putauit; neque ex TACITI loco verba quædam excidisse, ceu suspicatur *Vir Summus Petr. Burmannus in Tract. de vectigalibus populi Rom. cap.* IX. *pag.* 149. *ed. nouæ.*

CAP. VII. Præter scriptores de militia Romanorum, conferri potest Tractatio mea *de Testamentifactione, Cap.* II. *§.* 10. vbi occasione testamenti in procincti quædam de veteri ac recentiori cinctura militari admonui.

cincti

cincti erant, quemadmodum SERVIVS *in Æneid. Virg.* tradit. Ex quo in procinctu facta testamenta, FESTO interprete, dicebantur, quæ milites pugnaturi, vel vt planius PLVTARCHVS, ὅταν περιζώννυσθαι ἔμελλον, præsentibus commilitonibus nuncupabant: de quibus CICERO *lib.* I. *de Orat. c.* 53. & *lib.* II. *de Natur. Deor. c.* 3. & VELLEIVS PATER C. *lib. posteriore, c.* 5. vt alios notiores omittam, meminere. Nec vero in castris discinctus quis sine nota versabatur: quinimo hoc grande scelus, morteque piandum militaris disciplinæ seueri censores credebant, si quis ambulasset, aut vallum subiisset discinctus. Exemplum TACITVS *lib.*

TRADIT] Ad librum scilicet *Æneid.* VIII *v.* 724. Nempe antiquitus, quum adhuc togas gestarent milites, ipsa togæ lacinia cingere se solebant, & tunc in *cinctu Gabino* esse dicebantur, quia ritus iste cingendi a *Gabiis* originem habuisse traditur. (vid. FESTVS *vocc. endo procinctu*, & *procincta classis*: SERVIVS ad *Æneid.* VII. *v.* 612. ISIDORVS *Origg. lib.* XIX. *cap.* 24.) Postea vero, quamuis togæ loco saga sumerent, nihilominus tamen peculiari cingulo vtebantur milites, vt eo essent expeditiores: idque adeo proprium fuit militibus, vt cingulum, tanquam militiæ signum, pro ipsa sæpe militia a veteribus ponatur, vt vel ex lexicis notum.

EX QVO] Nempe antiquitus milites, quum in eo essent, vt in hostem irruerent, ritu Gabinio cincti, ENDO PROCINCTV id est *in procinctu* esse dicebantur. (vid. FESTVS & SERVIVS locis antea citatis) Quando ergo hoc habitu, (qui pro religioso apud Romanos habebatur) commilitonum quibusdam præsentibus, vltimam suam voluntatem enunciarent, in procinctu testari, & testamentum hoc modo factum *in procinctu* dicebatur: de quo instituto egi in *Tract.* mea *de Testament. cap.* 11. §. 19. *seqq. p.* 45. *seqq.* vbi integra quoque veterum loca huc spectantia adduxi. Duo tamen FESTI, quæ tunc præterii, hoc loco adscribam. Primus esto *voc. procincta classis*, qui ex eruditorum emendatione hodie ita legitur: *Procincta classis dicebatur, exercitus ad prælium instructus & paratus: quem Diali Flamini videre non licet: antiqui enim procinctum militem dixerunt, vt nunc quoque, cum exercitus instructus est. Procincta autem ideo, quod togis incincti ad pugnam ire soliti fuerint. Vnde & testamenta in procinctu fieri dicta, quod faciunt ad pugnam ituri.* Quem locum PAVLVS in Epitome ita expressit: *Procincta classis dicebatur, quum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confestim pugnaturus.* Alter locus, qui *voc. in procinctu* exstat, esto: *In procinctu factum testamentum dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat, præsentibus commilitonibus*

PLVTARCHVS] Auctor intelligit locum *in vita Coriolani, pag.* 217. quem integrum exhibui in *Tract. mea cit. pag.* 45. qui tamen hic quoque legi meretur, quia auctor memoriæ vitio, vt credo, verba non recte adduxit. Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ (alii legunt δὲ) διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι, τριῶν καὶ (alii legunt ἢ) τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Quem locum ita verto: *Mos erat Romanis eo tempore, vt in ipsa acie stantes, quum iam sumturi scuta essent, to-*

XI. *Annal. c.* 18. præbet. Cui adde ignominiæ militaris genus fuiſſe, vt diſcincti vel ſtare, vel opus facere milites cogerentur. Qua ignominia plerumque milites ſuos adfeciſſe Auguſtum TRANQVILLVS *in eius vita. c.* 24. narrat. Eademque ante eum coërcitione M. Curionem, & Marcellum vſos FRONTINVS *lib.* IV. *c.* 1. *num.* 43. *Stratagemat.* cum LIVIO *lib.* XXVII. *c.* 15. prodidit. Itaque & eos, qui ſub iugum mittebantur, diſcinctos fuiſſe FESTVS *lib.* IX. *v. iugum.* adnotat. Denique quemadmodum cingi, qui ad aliquam militiam promouebant, ita diſcingi, qui exauctorabantur, conſueuerant Quod HERODIANVS *lib.* II. *c.* 44. demonſtrat, cum prætorianis militibus ob Pertinacis cædem irrogatam pœnam explicat: & Impp. recentiorum conſtitutiones ſatis docent, quæ cinguli ademptione militares viros ſæpe multant. Poſtremo, in numeros milites referri debebant. Nam qui nondum in numeris erant, e iamſi lecti tirones eſſent, & publicis expenſis iter facerent, nondum tamen milites habebantur. *l.* 42. *ex eo. D. de Milit. teſtam.*

CAP. VIII.

De Incendiorum cura apud Rom. & inſtrumentis ad arcenda incendia comparatis.

VRbem Romam incendiis obnoxiam fuiſſe nemo eſt in hiſtoricorum libris vel mediocriter verſatus, qui neſciat. His arcendis, apud vetuſtiores, quemadmodum PAVLVS *in l.* 1. *D. de Offic. præf. vig.* ſcribit, Triumuiri præerant, qui ab eo, quod excubias agerent, nocturni ſunt appellati. Quorum muneri id incubuiſſe, vt noctu oborta incendia, ne latius peruagarentur, reſtinguerent, ex eo perſpicue apparet, quod a VALERIO MAX. *lib.* VIII. *cap.* 1. *ex. damn.* 5. 6. relatum eſt, M. Miltium, Cn. Lolium & L. Sextilium Triumuiros, quod ad extinguendum Sacra via incendium tardius venerant, necnon Publium Villium Triumuirum nocturnum, quod vigilias negligentius circumierat, a. Trib. pleb. die dicta ad populum damnatos eſſe. Interueniſſe et-

gamque præcincturi, ſimul teſtamenta ſua non ſcripta facerent, heredem ſuum, tribus aut quatuor audientibus, clare nuncupantes.

NOCTVRNI] Quando primum inſtituti fuerint, incertum eſt. Antiquiſſimus, quem hactenus a veteribus memoratum inuenire potui, eſt Cn. Flauius apud LIVIVM *lib.* IX. *cap.* 46.

iam

iam nonnumquam Ædiles idem PAVLVS auctor est. Idque negotii eis non semel ab Augusto datum in DIONE legimus. Verba eius *lib.* LIII. *pag.* 513. hæc sunt: τοῖς δ᾽ ἀγορανόμοις παραχρῆμα ἐπιμελεῖσθαί τε, ὅπως μηδὲν ἐμπιπρῆσθαι, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύναι τὸ πῦρ προσέταξε. *Tunc Ædilibus mandauit, vt cauerent, ne qua incendia existerent, aut si exstitissent, ignis restinguendi curam gererent.* Et *lib.* LIV. *pag.* 522. τοῖς δ᾽ ἀγορανόμοις τοῖς κουρουλίοις τὴν τῶν ἐμπρησομένων κατάσβεσιν ἐνεχείρισε. *Ædilibus curulibus incendia exstinguenda mandauit.* VELLEIVS quoque PATERCVLVS *lib. posteriore c.* 91. Egnatium Rufum magnam in Ædilitate extinguendis priuata familia incendiis populi gratiam collegisse scribit. Verum enim vero pluribus simul excitatis incendiis, cum ei oneri Ædiles non sufficerent, maiori multitudine opus esse AVGVSTVS videns, septem vigilum cohortes instituit, qui per vrbis regiones dispositi, excubantesque diurna

AEDILES] Quia hi erant Curatores vrbis, teste CICERONE *de Legib. lib.* III. *cap.* 3. Triumuiri ergo nocturni noctu Ædilium vicem gessisse videntur, quia maioribus magistratibus vespertinis temporibus in publico esse inconueniens erat, vt loquitur POMPONIVS in *L.* 2. §. 31. *D. de* O. I. Tribunos plebis etiam nonnunquam (extra ordinem tamen, vt puto) interuenisse in *L.* 1. *D. de offic. præf. vig.* legitur. Aliquando & extra ordinem Triumuiris capitalibus hoc negotium demandatum fuisse, obseruo ex LIVIO *lib.* XXXIX. *cap.* 14. qui simul addit, iis Quinqueuiros adiutores datos fuisse, vt cis Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. An hi iidem sint, quos commemorat POMPONIVS *loco cit.* vt viris doctis placere video, mihi nondum liquet.

LEGIMVS] Non, quod antea hæc cura iis non incubuerit: sed partim, quia Ædiles ante Egnatium illum Rufum hac in parte negligentiores fuisse videntur; partim vt illum doceret, ne quid præter cæteros sibi sumeret. Vide DIONEM *lib.* LIII. *pag.* 513.

PRIVATA FAMILIA] In quo præcipue eius meritum consistebat: nam erat & publica familia circa portas & muros ad id disposita, vt loquitur PAVLVS in *L.* 1. *D. de offic. præf. vig.*

SVFFICERENT] Hinc Augustus eam quoque curam Vicomagistris demandauerat, teste DIONE *lib.* LV. *pag.* 554.

AVGVSTVS VIDENS] Quippe qui post bella ciuilia munia magistratuum paullatim in se trahere cœpit, vt obseruauit TACITVS *Annal. lib.* I. *cap.* 2. Idque etiam innuere videtur PAVLVS in *L.* 1. *D. de offic. præf. vig.* his verbis: *Deinde Diuus Augustus maluit per se huic rei consuli.* Salutem ergo reipublicæ tanquam colorem huic rei prætexens, (vid. *L.* 3. *pr. D. eod.*) curam hanc in se suscepit ipse Augustus, partim quia facile per eam vulgi fauorem adquiri posse didicerat Egnatii exemplo, partim quia vigilum sibi obnoxiorum manu pro instrumento quoque dominationis, præsertim ad nocturnos tumultus compescendos, vti poterat.

DISPOSITI] Quum ergo vrbs in quatuordecim regiones ab Augusto esset

nocturnaque incendia arcerent, vt idem PAVLVS *in l. 3. D. de Offic. præf. vig.* & SVETONIVS *in Aug. cap.* XXX. referunt. Atque has aduersus incendia vigilum cohortes ex libertinis conscriptas, dato ex Equestri ordine præfecto, DION *lib.* LV. *pag.* 566. commemorat. ἐπειδὴ, ait, ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῆ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων. οὐ μέν τοι καὶ ἐποίησε τοῦτο. *Quum eo tempore multa in vrbe incendiis essent vastata, libertinos septem locis ad ea curanda constituit, eisque equitem præfecit: quos etsi breui tempore dimittere statuerat, tamen hoc non perfecit.* STRABO *lib.* V. *Geograph. pag.* 235. *edit. Casaub.* ἐπεμελήθη μὲν οὖν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τῶν τοιούτων ἐλαττωμάτων τῆς πόλεως, πρὸς μὲν τὰς ἐμπρήσεις συντάξας στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθέρων τὸ βοηθῆσον. *Augustus Cæsar igitur ad eiusmodi vrbis defectus præcipuam curam adhibuit, institutis e libertinorum numero militibus, qui aduersus incendia ferrent opem.* Nec vero libertino milite alias temere vsum Augustum TRANQVILLVS *in eius vita*, *c.* 25. adnotauit. Sed enim hæc, quamuis vrbana, grauis tamen ac dura libertinis visa militia est: quam cum plerique omnes detrectarent, eorum alliciendorum continendorumque caussa, Latinis, qui sex annis in cohorte vigilum militassent, pro præmio ius Quiritum lege Visellia propositum fuit, postea etiam, cum longius sexennii tempus existimaretur, Senatusconsulto ad triennium redactum est, quemadmodum VLPIANVS *in Institut. tit.* III. §. 5. scribit. Oberrasse autem per vrbem præfectum vigilum calceatum cum hamis & dolabris, supra citata *l.* 3. §. 3. *sciendum.* continetur: quæ fuisse instrumenta incendiis arcendis accommodata facile omnes coniiciunt, cum ex illo PAVLI loco, tum ex PLINII *epistola*, quam ad *Traianum* de Nicomediensi incendio mittit, *lib.* X. *Ep.* 42. & ex *l.* 12.

diuisa, sequitur, in vnaquaque regione dimidiam cohortem excubasse.

PRAEFECTO] Qui ideo *Præfectus* vigilum vocatur, quem Augustus ex consilio Mæcenatis instituit, iuxta DIONEM, *lib.* LII. *pag.* 480. Sed præterea singulæ quoque cohortes suos habuerunt Tribunos. vid. PAVLVS in *L.* 3. *pr. D. eod.*

LATINIS] Latini quidem liberti, qui & Latini Iuniani vocari solent, præcipue hic intelliguntur: Latinos tamen colonarios non exclusos fuisse existimo.

VISELLIA] Vide de hac lege Interpretes ad *Vlpianum* loco ab auctore adducto & B. *Christ. Gothofredi Hoffmanni Historiam Iuris*, Tom. I. *pag.* 199.

quæ-

quæsitum. §. 18. *acetum. D. de instru. vel instrum.* Sed qualis tandem *hama* fuerit, non satis constat. ἄμη certe a POLLVCE *lib.* I. *Onom. cap.* 12. & *lib.* X. *cap.* 29. vt & a CATONE *de re Rust. cap.* CXXXV. inter ἐργαλεῖα γεωργικὰ, a SVIDA vero inter οἰκοδομικὰ ϗ τεκτονικὰ ponitur. Et verisimile est disturbandis ædibus aptum, vt & dolabram, instrumentum fuisse. Quod etiam coniiciendum his ÆSCHINIS verbis, quæ sunt in *Orat. contra Ctesiphont.* relinquitur. δελφῶν ὅσοι ἐπὶ διετὲς ἡβῶσι καὶ δέλυς καὶ ἐλευθέρυς ἥκειν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἔχοντας ἄμας ϗ δικέλλας. Possumus etiam (nam in re obscura hariolari quid vetat?) hamas suspicari vasa maiora fuisse, quæ aqua vel aceto plena restinguendi ignis causa circumferrentur. Coniectura hæc illo argumento nititur, quod ὑποκοριστικῶς *hamula* pro ampulla a COLVMELLA *lib.* X. *v.* 387. & APPIO vsurpetur: prior plane interpretatio probabilior fit adiuncto dolabræ verbo, cuius & in re rustica ad præfractas stirpes summasque radices, quibus ager arbusto consitus implicabatur, refodiendas, & in re bellica ad vrbium expugnationem vsum fuisse COLVMELLA *lib.* II. *cap.* 20. & TACITVS *lib.* XIX. significant. His & sifones adde, quæ in genere incendiariorum instrumentorum habentur, hamisque a PLINIO in ea ad Traian. epistola, de qua proxime memini, & ab VLPIANO *in l.* 12. *quæsitum.* §. 18. *acetum. D. de Instrum. & instr.* adiunguntur. Sifones autem ISIDORVS *lib. vlt. Etymolog. cap.* VI. vasa appellata scribit, quæ aquas sufflando funderent, quibus aduersus incendia Orientales populi vtebantur. Meminit sifonis COLVMELLA *lib.* III.

VEL INSTRVM.] Adde locum elegantem IVVENALIS *Satyra* XIV. *v.* 305. cuius lectionem vulgarem frustra quidam sollicitant:

Dispositis, ait, *prodines hamis vigilare cohortem*
Seruorum noctu Licinius iubet, &c.

Ad quem locum vetus *Scholiastes* apposite ita commentatus est: *Per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum* (id est vigilum, qui per contemtum ab aliis militibus *Sparteoli* vocati fuisse videntur. Vide *Casauboni* & *Berneggeri notas* ad SVETONII *August. cap.* 30.) *Romæ, quorum cohortes in tutelam vrbis cum hamis & cum aqua vigilias curare consueuerunt vicinis.*

LIB. XIX. Intelligit forsan auctor librum III. *Historiarum*: sed ego in toto TACITO hanc vocem reperire non potui. Cæterum præter Græcos Latinosque lexicographos legi possunt, quæ de hac voce disputant *Leopardus* in *Miscell. lib.* IX. *cap.* 22. *Turnebus* in *Aduersar. lib.* II. *cap.* 29. & *lib.* XIX. *cap.* 23. *Brodæus* in *Miscell. lib.* X. *cap.* 15. *Grangæus* in *Comment.* ad *Iuuenal. l. c. Salmasius* ad *Trebell. Pollion. in vita Claud. cap.* 14.

SIFONES] Rectius scribitur *sipo*, siue *sipho*, a Græco σίφων.

cap. X. & SENECA *lib.* II. *Natur. quæstio. c.* 16. *Solemus*, inquit, *duabus manibus inter se iunctis aquam concipere, & compressa vtrinque palma in modum sifonis exprimere.* Passim autem in ædibus sifones fuisse, qui subterraneis meatibus ductam aquam exprimerent, STRABO *lib.* v. *pag.* 235. *ed. Casaub.* testis est. Τοσοῦτον δ' ἐςὶ, ait, τὸ εἰσαγώγιμον ὕδωρ διὰ τῶν ὑδραγωγείων, ὥςε ποταμοὺς διὰ τῆς πόλεως καὶ τῶν ὑπονόμων ῥεῖν, ἅπασαν δ' οἰκίαν σχεδὸν δεξαμένας καὶ σίφωνας καὶ κρουνοὺς ἔχειν ἀφθόνους. *Tanta autem per aquæductus aquarum vbertas influit, vt per vrbem atque cloacas amnes inundare videantur, & vniuersæ propemodum ædes subterraneos meatus, siphones ac fistulas vndosas habeant.* Acetum quoque ignis exstinguendi causa parari & haberi olim consueuerat. *l.* 12. *quæsitum.* §. 18. *acetum. D. de Instrum. vel instr. l.* 3. §. 5. *penori. D. de Penu leg.* Cui rei aptissimum id esse, etiam LVITPRANDVS *lib.* III. *historiæ* suæ *cap.* VI ostendit, qui Græcum ignem nullo præterquam aceti liquore exstingui ait. Atque hæc fuere reprimendis ignibus subsidia, quæ vt in propatulo quisque haberet, Nero constituit: quemadmodum a TACITO *lib.* XV. *Annal. c.* 43. scriptum est.

CAP. IX.

De seruis Compeditis, deque ergastulis.

PLacet veterum in custodiendis mancipiis morem referre, qui malos seruos, & quos fugæ suspectos habebant, neruo ac compedibus coërcere, vinctosque continere consueuerant. Cuius rei in libris nostris vestigia quædam adgnosci possunt. *l.* 7. *& eleganter.* §. 7. *item Labeo. D. de Dolo. l.* 1. §. *pen. l. sed & si seruo. D. de Iniur. l.* 5. *si vt certo.* §. 6. *custodiam. D. Commod.* §. *vlt. Instit. de l. Aquil.* § 7. *pœna autem. Inst. de Iniur.* Ac ianitores quidem & hostiarii more anti-

CONSVEVERAT] Rationem reddit MACROBIVS *Saturn. lib.* VII. *cap.* 6. his verbis: *Solum enim hoc ex omnibus humoribus crescentem flammam violenter exstinguit, dum per frigus suum calorem vincit elementi.*

CAP. IX. Ad hoc caput, præter scriptores de seruis & pœnis Romanorum, conferri possunt, quæ scripsit LIPSIVS *Electorum lib.* II. *cap.* 15.

CONSVEVERANT] Dominum enim apud Romanos tanquam magistratum domesticum in seruos exercuisse summum vitæ necisque ius, adeoque multo magis quoque ius coërcendi, omnibus est notissimum.

DE INIVR.] Auctorem forsan in mente habuisse *L.* 15 §. 44. *D. de iniur.* existimo: nulla enim lex in toto corpore iuris ita incipit: *sed & si seruo.*

quo in catena erant, vt a SVETONIO *in lib. de claris Rhetorib. c.* 3. traditur. Sed alii quoque opus ruri facere vincti cogebantur: adeoque alligatis mancipiis rura fere omnia colebantur, quemadmodum COLVMELLA *lib.* I. *cap. vlt.* ostendit: ex quo illa apud PLINIVM *lib.* XVIII. *cap.* 3. de imminuta agriculturæ dignitate querela. *At nunc*, ait, *eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* SENECA *lib.* VII. *de Benef. cap.* 10. *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* Hinc etiam OVIDIVS *in lib.* I. *de Ponto, Eleg.* 7. *ad Gracin.* de spe loquens: (*v.* 31.)

Hac facit vt viuat fossor quoque compede vinctus,
Liberaque a ferro crura futura putet.

Et IVVENALIS *Sat.* XI. *v* 80.

Squallidus in magna fastidit compede fossor.

Eandem rationem habet quod à MARTIALE *lib.* IX. *Epigram.* 23. *v.* 3. ita scribitur:

Vt Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.

Cæterum vincti hi serui villarum ac possessionum ergastulis continebantur. Vnde PLINIVS μετωνυμικῶς coli rura ergastulis pessimum esse *lib.* XVIII. *cap.* 6. pronuntiat. Et SENECA *lib.* III. *controuersiar.* sonantia laxi ruris ergastula dicit. Ideoque COLVMELLA circumspectis patribusfam. diligenter recognoscenda ergastula, *lib.* I. *cap.* 8. præcipit, vt explorent, an diligenter vincta sint mancipia, an ipsæ sedes custodiæ satis tutæ ac munitæ. Erant vero eæ seruiles cellæ obscuræ, & quantum ex eodem COLVMELLA & CATONE coniicio, subterraneæ, quibus plerumque indignissime liberi quoque homines supprimebantur. Eaque de causa *Augustum* primum, mox & *Tiberium*, recognoscendorum repurgandorumque ergastulorum curam suscepisse SVETONIVS *in eorum vita* narrat, cum iis raptos per agros viatores,

CONTINEBANTVR] Hoc docet nos etiam vetus *Scholiastes* IVVENALIS ad *Satyr.* VI. *v.* 150. vbi ad verba illa:

— — — *Pueros omnes, ergastula tota,*
Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.

ita commentatur: *Ergastula proprie dicuntur loca, in quibus ad pœnam vincti opus faciunt. Hic ergo ergastula dixit rusticorum seruientium multitudinem.*

EORVM VITA] Et quidem in *vita Augusti, cap.* 32. in *vita* autem *Tiberii, cap.* 8. Adde SPARTIANVM in *vita Hadriani, c.* 18. ibique consule interpretes.

ſine diſcrimine liberos ſeruosque, ſuppreſſos inuſta ſeruitute detineri fama diſtuliſſet. Atque hæc qui ſecum reputabit omnia, minus mirabitur a SALLVSTIO *in proœmio Coniurat. Cat. c.* 4. agriculturam ſeruile officium appellari, cum rura iam, vel frugi ſeruis, (quales ſe omnes habere in prædiis ſuis PLINIVS *Ruſo, lib.* III. *Epiſt.* 19. ſcribit) vel vinctis colerentur. Nec alio apud Græcos loco agricultura fuit, qui ſeruis ad rura exercenda vtebantur, quos Lacedæmonii εἱλώτας, Theſſali πενέςας, Cretes κλαρώτας, Syracuſii καλλικυρίους appellabant, vt ab ARISTOTELE *lib.* I. *Politic.* & POLLVCE *lib.* III. *Onomaſt. cap.* 8. & ab AEMILIO PROBO *in Pauſan. cap.* 3. & SVIDA ſcriptum eſt. Quibus, vel ipſius DIONYSII HALICARNASSEI *lib.* II. *Antiquit. Rom. pag.* 84. teſtimonio haud multum abſimiles erant, eaſdem certe operas præſtantes, qui ab Athenienſibus Θῆτες appellabantur. Quinetiam vinciendorum ſeruorum vſitatum Perſis morem fuiſſe XENOPHON *lib.* I. παιδ. κύρ. ſubindicat. Sed nihil hæc ad libri inſtitutum. Illud propoſito congruit, admonere, deteriorem longe in manumiſſione fuiſſe vinctorum, quam ſolutorum ſeruorum conditionem. Hi enim manumiſſione vel plenam ſtatim libertatem ciuitatemque Romanam, vel Latinorum ius cum ſpe ciuitatis multis ex cauſis obtinendæ conſequebantur. Illi manumiſſione dediticii efficiebantur, imaginariamque duntaxat libertatem, ſine vlla ciuitatis quandoque adipiſcendæ ſpe, nanciſcebantur, quemadmodum VLPIANVS & CAIVS *in Inſtit. tit.* I. & IVSTINIANVS *in l. vn. C. de Deditic. libert. toll.* & *Inſtitut. tit. de libert. in* §. *vlt.* ſignificant. Id quod lege Ælia introductum, & VLPIANVS *l. c.* §. 11. & THEOPHILVS ad *Inſtitut. tit. cit.* conſentiunt, quam vt auctore Auguſto latam exiſtimem, SVETONII *in Aug. cap.* 40. verba faciunt. *Hoc quoque*, ait, *adiecit, ne vinctus vmquam, tortuſue quis, vllo libertatis genere ciuitatem adipiſceretur.*

AEMILIO PROBO] ſiue potius CORNELIO NEPOTE, quem verum elegantiſſimi *de vita excellentium Imperatorum* libri auctorem eſſe, hodie inter omnes conſtat.

AELIA] ſiue potius Ælia Sentia: de qua lege confer omnino *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 6.

CAP.

CAP. X.

Expositum Marcelli responsum, & de Vnionum dissolutione.

IN explicatione legum non raro ab interpretibus verborum ignoratione peccatur. Vnum ego ex multis exemplum proponam. MARCELLVS speciem huiusmodi refert in *l. 6. Seia. D. de auro arg.* Seia vnionem cum hyacinthis legauit, postea vnionem soluit, nec vllum mortis tempore inter ornamenta sua vnionem reliquit. Quæsitum est, an heres æstimationem rei, quæ in hereditate non est, præstare debeat. Hæc verba *Accursius*, qui in errorem reliquos induxit, sic accepit, quasi a testatrice dum viueret, legatario vniones præstiri solutique fuerint. Quæ interpretatio a Marcelli mente abhorret, quem de re tam ridicula, & aperta, consultum nemini sano verisimile fiet. Probabilius vero est, & ad sequentia accommodatius, de dissolutione vnionis propositam fuisse quæstionem: quam sic accipere possumus, vt detractus & demtus de linea vnio fuerit, veluti in *l. 25. argumento.* §. 11. *margarita. D. de Auro argent.* Vel sic, vt aceto dissolutus ac liquefactus sit. Constat enim aceti asperitatem vsque in tabem margaritas resoluere. VITRVVIVS *lib.* VIII. *cap.* 3. *Item margarita, non minus saxa silicea, quæ neque ferrum, neque ignis potest per se dissoluere, cum ab igni sunt percalefacta, aceto sparso dissiliunt, & persoluuntur.* Vitruuio PLINIVS *lib.* XXIII. *cap.* 1. consentit. Atque ita Cleopatram, in illa celelebratissima cœna, vnionem aure detractum aceto mersisse, & liquefactum absorbuisse, idem PLINIVS *lib.* IX. *cap.* XXXV. & MACROBIVS *lib.* III. *Saturnal. cap.* VII. referunt. Æsopi quoque tragœdi filium aceto liquatos magnæ summæ vniones potionibus aspergere solitum VALERIVS MAX. *lib.* IX. *cap.* I. *ex.* 2. auctor est. Idem & de Caligula narratur a SVETONIO in eius vita *c.* 37. his verbis: *Nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superauit, commentus nouum balnearum vsum, portentosissima genera ciborum atque cænarum, vt calidis, frigidisque vnguentis lauaretur, pretiosissimas margaritas*

CAP. X. Cum hoc capite conferri merentur ea, quæ disputauit *Radulphus Fornerius Rerum quotidianarum lib.* 1. *cap.* 11. & 12.

AVCTOR EST] Vide etiam de hoc Æsopo HORATIVM *sermon. lib.* II. *Sat.* 3. *v.* 239. ibique interpretes.

aceto liquefactas sorberet. Sed vt ad Marcelli responsum veniam, siue hanc, siue illam dissolutionem intellexisse eum dicamus, verum est vnionis legatum vtroque modo, ceu claro mutatæ voluntatis indicio dato, exstingui.

CAP. XI.

Vnde Sicariorum nomen, & de Sicæ forma.

LEge Cornelia, quam de sicariis L. Cornelius Sylla Dictator tulit, cædes quocumque telo factæ vindicantur. Sicarios enim per abusionem omnes dici, qui cædem quocumque telo commisissent, obtinuisse QVINTILIANVS *lib.* x. *Instit. Orat. cap.* I. tradit, cum proprie ad eos tantum, qui sica occiderint, appellatio ea pertineat. De qua quod compluries in auctoribus sermonem fieri videam, non inutile putaui quæ de eius forma obseruauerim, subiicere. Nam ex Grammaticis quidem sicam a secando dictam, ex nostro etiam IVSTINIANO in §. 5. *item lex Cornelia. Institut. de Publ. iudic.* sicam ferreum cultrum esse, quisque intelliget. Qualis vero sica fuerit, nemo tam sagax est, vt ex eo eruere possit. Quod tamen latere IOSIPPVS non patitur, qui sicam breuissimum fuisse cultrum, recuruum & inflexum, Persici acinacis longitudine, *lib.* XX. *Antiq. Iud. c.* 7. docet his verbis: *Καὶ οἱ σικάριοι δὲ καλέμενοι (λῃσαὶ δ' εἰσὶν ὗτοι) τότε μάλισα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν περσῶν ἀκινάκαις, ἐπικαμπέσι δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ ῥωμαίων σίκαις καλεμέναις, ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃσεύοντες ἔλαβον. Latrones vero illi, qui sicarii appellabantur, tunc ad maximum numerum excreuerant, vtentes gladiolis, instar acinacis Persici, incuruis, quales sicas Romani nominant, vnde latronibus ipsis cognomen est inditum.* Cui SVIDAE interpretatio *v.* Σικάριοι. concordat, qui sicas a Romanis τὰ ἐπικαμπῆ ξίφη appellari dicit. Quod etiam indicat ille TRANQVILLI locus apud *Isidorum lib.* XVIII. *Etymolog. cap.* VI. quo gladiatoris cuiusdam in ludum emissi gladio

A SECANDO] Confer *Menagii Amænitates Iuris Ciuilis*, *cap.* 39. voc. *sicarius*, vbi de hac etymologia erudite, vt solet, disputat.

ISIDORVM] Locum integrum hic exhibere operæ pretium erit. *Sica*, inquit ISIDORVS, *a secando dicta est: est enim gladius breuis, quo maxime vtuntur, qui apud Italos latrocinia exercent, a quo & sicarii dicti sunt.* TRANQVILLVS autem dicit: *Dum cuiusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curuatus fuisset ex acie*

ex

ex acie recta curuato, accurrisse vnum ad eum corrigendum narrat, tumque a pugnante responsum fuisse: *Sica pugnabo.* Breuissimam autem sicam fuisse, indicio est quod vel a pueris, vt CICERO *in Catilin.* significat, vibraretur: ac proinde cædibus media in turba perpetrandis aptissima erat, cum veste tecta ea, & aut sinu occultata, nec sic opinantes confoderentur. Quod IOSIPPVS non vno loco ostendit, cuius verba, vti sunt a Rufino Latine reddita, facilioris intelligentiæ causa subieci. Sic autem *lib.* II. *de bello Iud. cap.* 12. scribit: *Regione purgata aliud genus latrocinantium in Hierosolymis oriebatur. Hi autem sicarii vocabantur, die claro & in media ciuitate passim quosque interficientes: potissimum vero diebus sollemnitate festiuis immiscebantur vulgo, sicas sub veste gestantes. His inimicos interficiebant, ac deinceps collapsis hominibus illi inter reliquos de scelere conquerebantur.* Idem *eiusdem lib. cap.* 17. *Inter infirmiorem autem vulgum irrumpentes multi sicariorum (sic enim vocant latrones gladios in finibus gestantes) recepti, audacissime prosequebantur opus quod adorti erant.* Sed & *lib.* XX. *Antiquit. Iud. cap.* 2. multos a sicariis gladios sub veste portantibus & plebi permixtis in turba occisos refert. Qua de causa summo hoc hominum genus odio habebatur.

CAP. XII.

De veritate lectionis l. Fulcinius. §. illud sciendum. versic. denique. Ex quibus caus. in possess. eat. & de Stationibus ac Tabernis in foro.

EVm, qui in foro eodem agit, si circa columnas vel stationes se occultet, latitare videri veteres responderunt. *l. 7. Fulcinius.*

recta, procucurrit vnus ad eum corrigendum, tumque a pugnante responsum est: sica pugnabo: inde sicæ nomen datum est.

IN CATILIN.] Sed vbi? an forsan locum in *Orat.* 1. *cap.* 6. præ oculis habuerit auctor noster, iudicent alii.

CONFODERENTVR] Quod breuiter vetus quidam *Scholiastes* HORATII ad *Sermon. lib.* 1. *sat.* 4. ita expressit: *Sica gladius est permodicus, quem solebant malefici in baculis* (an forsan legendum *sacculis?* iudicent alii: ego enim non temere sine Codicum MSS. ope aliquid definire soleo: esset tamen hæc lectio non tantum clarior, sed & veterum Romanorum moribus accommodatior.) *gestare, vt ex insidiis aliquem interficerent, vnde dicti sunt sicarii.* Exemplum huiusmodi facinoris legi potest apud VARRONEM *de re rust. lib.* 1. *cap. vlt.*

§. 13.

§. 13. *denique. D. Ex quib. cauſ. in poſſ. eat.* Quod etiam confirmat *l.* 36. *eum qui. D. de rebus auctorit. iud. poſſid.* Nec vllam habet ea ſententia obſcuram definitionem. Tantum quod ad verba attinet, videndum eſſe, vir quidam doctiſſimus mihique multis de cauſis coniunctiſſimus, cui ego tantum, quantum alii nulli tribuo, admonuit, ne in §. *denique.* ſtationum pro *ſtatuis*, nomen irrepſerit. Quod ego vti omnino improbare fas mihi non puto, ita omnium codicum fide comprobatam lectionem non temere reiiciendam cenſeo: quæ & ferri poteſt & idoneum, meo iudicio, ſenſum habet. In foro enim Romano ad tabernas ſtationes aliis quoque locis memorari animaduerti. SVETONIVS *in Nero. c.* XXXVII. *Saluidieno*, ait, *Orphito obiectum eſt, quod tabernas tres de domo ſua circa forum ciuitatis ad ſtationem locaſſet.* PLINIVS *lib.* VII. *cap.* 53. *C. Seruilius*, ait, *Panſa cum ſtaret in foro ad tabernam hora diei ſecunda in P. Panſam fratrem innixus.* Id ipſum & *l. penult. C. de Operib. publ.* comprobat, in qua ſtationes in aliqua baſilicæ parte, tabulato opere, conſtitui Impp. prohibent. Dicebantur & artificum ſtationes. ACRON in illum *Horatii* verſum *lib.* 1. *Sermon. ſatyr.* IV. *v.* 71.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Hæc, ait, *poſuit pro bibliopolæ ſtatione, qui armaria circa pilas vel columnas habebant.* Quo verbo & in hanc ſententiam CORNVTVS *in* 1. *ſatyr. Perſii v.* 128. vſus eſt. *Mos*, ait, *erat, vt tabernarii cupientes terrere pueros, ne mingerent per ſtationum ſuarum angulos, pinge-*

IRREPSERIT] Quam ſententiam etiam defendunt duumuiri illi, quia ad iurisprudentiam reſtituendam nati fuiſſe videntur, *Alciatus* in *Parergis*, *lib.* II. *cap.* 27. & *Cuiacius* in *Obſeruatt. lib.* 1. *cap.* 13. & *lib.* II *cap.* 40. Confer *Dionyſii Godofredi notas ad h. l.* Iudicium ſit penes lectores.

ACRON] Locus integer in editione *Baſil.* A. 1580. *fol.* ita legitur: *Negat ſe libros ſuos edere bibliopolis, ne in imperitam turbam incidant, qualis eſt Hermogenes Tigellius. Plerumque enim in pilis, vel in columnis, epigrammata ſcribebant poëtæ, vel bibliopolis tradebant. Hoc ideo poſuit, quia bibliopolæ ſtationes, vel armaria, circa pilas, vel columnas, habebant, ac per hoc oſtendit, ſe non temere cuiquam libellos ſuos edere, niſi nobiliſſimis perſonis.* Ad eundem locum alter ſcholiaſtes PORPHYRION ita commentatur: *Negat ſe libellos ſuos edere bibliopolis, qui vel tabernas habent, vel armaria, quæ ſunt apud pila, ne in ſordidos, qualis eſt Tigellius Hermogenes, incidant.*

CORNVTVS] Locum hunc quoque integrum adſcribam: *Mos erat, vt tabernarii cupientes terrere pueros, ne mingerent per ſtationum ſuarum angulos, pingerent ſupra duos angues: deinde interdicerent micturientibus, oſtendentes religionem loci, per quod deſignat ſat ſacrum: quoniam, inquit, pueri, ſi videant pictos dracones, ſacrum locum exiſtimantes, mingere illic ceſſabant.*

rent

rent supra duos angues. Ita tabernæ statio adnectitur in *l.* 15. *item apud Labeonem. §.* 5. *conuicium. D. de Iniur.* Erant vero stationibus accommodatissimæ tabernæ, quas circa forum dispositas VITRVVIVS *lib.* V. *cap.* I. indicat, & LIVIVS *lib.* XXVI. *cap.* 11. his verbis: *inuentum Romæ emtorem, vt extemplo vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, iusserit venire.* Hoc & QVINTILIANVS *lib.* VI. *cap.* IV. ostendit, quoddam C. Iulii factum referens, qui sæpius obstrepenti & instanti Heluio, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstrasse fertur imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam; cui tunc Heluius simillimus visus est. *Tabernæ autem*, ait, *erant circa forum, & scutum illud signi causa positum.* Quod PLINIVS a Crasso oratore sub Veteribus in testem detortum *lib.* XXXV. *cap.* 4. scribit: quo in loco argentariorum mensas fuisse, PLAVTVS *in Curcul.* demonstrat: (*Act.* IV. *sc.* I. *v.* 14. & 19.)

In foro infimo, ait, *boni homines atque dites ambulant.*
Sub Veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.

Veteres autem cum dicunt Latini auctores, tabernas intelligunt. Eratque & alius in foro a nouis tabernis appellatus locus, qui *Sub nouis* æque dicebatur, vt VARRO *lib.* V. *de lingua Lat. cap.* 7. *p.* 56. & LIVIVS *lib.* II. & *lib.* XXV. & PLINIVS *lib.* XXXV. *cap.* X. docent. Sed ad rem. In foro positas argentarias tabernas subindicat *l.* 32. *qui tabernas. D. de Cont. emt.* quod vt adfirmare possemus, etiam testimoniis externis deficientibus, vnum hoc argumentum sufficeret, quod qui argentaria cedebant, foro cedere dicebantur. *l.* 7. *si hominem. §.* 2. *quotiens. D. depos. l. vlt. D. de curat. bonis dan.*

CAP. XIII.

De iactatione motuque Capitis fanaticorum.

APud *Viuianum* quæsitum VLPIANVS refert, si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset,

LIVIVS] Ipsam illam locutionem *sub nouis* in LIVIO hactenus nondum reperire potui: fit tamen nouarum tabernarum mentio apud eum *lib.* III *cap.* 48. & *lib.* XXVI. *cap.* 27. Adde FESTVM *voc. plebeii ædiles*: & NONIVM *lib.* XII. *num.* 55. vbi VARRO *de vita populi Romani* II. ait: *Hoc interuallo primum forensis dignitas creuit, atque ex tabernis lanienis argentariæ factæ.*

PLINIVS] In hoc auctore locutionem quidem *sub veteribus*, non vero *sub nouis* reperi.

an nihilominus ſanus videretur. *l.* 1. *§.* 9. *apud Viuianum. D. de Ædilic. ed.* Quibus verbis fanaticorum inſanum morem ſtrictim attigit. Fanaticos autem, Gallos magnæ Deum matris Cybeles ſacerdotes accipe. Sic enim a LIVIO *lib.* XXXVII. *c.* 9. & a IVVENALI *ſatyr.* II. *v.* 112. & a PRVDENTIO *in Romano Mart. v.* 1061. aliisque Latinis auctoribus appellantur. Hi quippe, ceu diuino ſpiritu afflati, & æſtu quodam mentis perciti, vagari, caput iactare, contorquere, hac atque illac inflectere furibundorum ſpecie ſolebant. LAMPRIDIVS *in Heliogab. cap.* 7. *Iactauit autem caput inter præciſos fanaticos, & genitalia ſibi deuinxit.* Vbi *præciſos* ea ratione, qua *ſectos* a MARTIALE *lib.* V. *Epigram.* 42.

ATTIGIT] Sic etiam QVINTILIANVS *Inſtitut. Orator. lib.* XI. *cap.* 3. *Iactare caput, & comas excutientem rotare, fanaticum eſt.*

ACCIPE] Fanatici generatim dicebantur omnes ii, qui interiori numinis vi agitari ſe fingebant, a fando, vel fano ita dicti. Vide *Iacobi Godofredi Commentarium ad L.* 4. *Cod. Theodoſ. de maleficis & mathemat. Tom.* III. *pag.* 110. *Dionyſii Godofredi notas ad L.* 1. *§.* 9. & 10. *D. de ædil. edict.* In horum igitur numero erant quoque *Galli*, quos aliquando & κατ' ἐξοχὴν fanaticos dictos fuiſſe ex LIVII & IVVENALIS locis ab auctore adductis apparet. Sed non ſoli: nam & *Bellonarios* ita dictos fuiſſe, vel ex ſola inſcriptione apud *Reineſium Claſſ* XIV. *num.* 139. SEVERVS FANATICVS E VICO BELLONAE probari poteſt. Adde *Gruteri* Opus *Inſcript. p.* 312. *n.* 7. & *p.* 313. *n.* 1. vbi occurrit FANATICVS AD AEDEM & DE AEDE BELLONAE. Ita quoque IVVENALIS *Satyr.* IV. *v.* 123.

— — — *Sed vt* fanaticus *æſtro*
Percuſſus, Bellona, tuo diuinat. — —

Confer de hiſce Bellonariis, eorumque fanatico furore, *Iani Broukhuſii notas* ad TIBVLLVM *lib.* I. *Eleg.* 7. *v.* 49. & *Dempſteri Paralip. ad Roſini Antiqq. Rom. lib.* IV, *cap.* 10. *p. m.* 615. *ſeqq.*

PRVDENTIO] Multi quidem hoc in loco fanaticum dici Gallum exiſtimant: ſed ego potius Bellonarium indigitari puto, quorum proprium erat, lacertos ſecare, vt a *Brouckhuſio* & *Dempſtero locis cit.* abunde probatum eſt: nam v. 1066. ſermonem demum ad Gallos conuertit, vt ex connexione apparebit. Sed locum integrum in gratiam lectoris, vt eo melius iudicare poſſit, adſcribam, quum præſertim ad totius huius capitis illuſtrationem non parum faciat.

Cultum in lacertos exerit fanaticus.
(Bellonarius ſcilicet)
Sectisq; Matrem brachiis placat Deam,
(Bellonam intellige)
Furere ac rotari ius putatur myſticum,
Parca ad ſecandum dextra fertur impia,
Cælum meretur vulnerum crudelitas.
Aſt hic (Gallus nimirum) *metenda dedicat genitalia,*
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemiuir donum Deæ,
(Cybelem intellige)
Illam reuulſa maſculini germinis
Vena effluenti paſcit auctam ſanguine.

EPIGRAM.] Verba eius ſunt:
Spadone quum ſis euiratior fluxo,
Et concubino mollior Celænæo,
Quem ſectus vlulat Matris entheæ Gallus.

dictos

dictos palam est, quod virilia sibi testa amputarent. OVIDIVS *Fastor. lib.* IV. *v.* 241.

- - - Mollesque ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

VARRO *Eudæmonibus*, vt est apud *Nonium*: *Tibi nunc semiuiri teretem comam volantem iactant tibi Galli.* LVCANVS *Pharsal. lib.* I. *v.* 566.

- - - Crinemque rotantes
Sanguinei populis cecinerunt tristia Galli.

Quod & a lymphatis in Bacchanaliumque celebritate factum CATVLLVS *in poëmate de Nupt. Pelei v.* 251. *seqq.* ostendit, & TACITVS *lib.* XI. *Annal. c.* 31. his verbis: *Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaque Silius, edera vinctus, gerere coturnos, iacere caput.* Atque hæ sunt, quas PLVTARCHVS *μανίας* vocat τῶν ὀργιαζομένων ἐριψαύχενι σὺν κλόνῳ.

CAP. XIV.

De iure Sepulchrorum.

SEpulchrorum alia esse hereditaria, alia familiaria nostri tradunt. Hereditaria iisdem auctoribus definimus, quæ sibi heredibus-

Idem *Epigramm. lib.* II. *num.* 45.

Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte,
Demens cum ferro quid tibi, Gallus eras.

TESTA] Testa nimirum Samia, vt auctor est PLINIVS in *Hist. Nat. lib.* XXXV. *cap.* 12. & MARTIALIS *lib.* III. *Epigr.* 81. Vide præterea de ritu hoc notissimo LVCIANVM in *Tract. de Dea Syria*: AVGVSTINVM *de Ciu. Dei lib.* VII. *cap.* 23. *seqq.* SERVIVM ad *Æneid. lib.* IX. *v.* 115. IVVENALEM *Sat.* II. *v.* 116. & *Sat.* VI. *v.* 512. TIBVLLVM *lib.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 63. ibique interpretes.

EVDAEMONIBVS] Siue potius *Eumenidibus*: vide NONII *lib.* IV. *de varia signif. serm. num.* 260. *v. iactare, pag.* 238. *ed. Paris.* 1614. 8*uo.*

LYMPHATIS] Quinam illi sint, explicat ISIDORVS *Origg. lib.* X. his verbis: *Lymphaticus, quod aquam timeat, quem Græci ὑδροφόβην vocant. Lymphaticus proprie dicitur, qui vitium ex aqua contrahit, cuius vitium est, huc atque illuc currere, aut a fluore* (alii legunt *furore*) *aquæ sumto vitio. Sed poëtæ iam hoc genus nominis pro furiosis vsurpant.* FESTVS vero in fine *lib.* X. ita loquitur: *Lymphæ dictæ sunt a Nymphis. Vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quandam e fonte, id est effigiem Nymphæ viderint, furendi non fecisse finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant.* Adde VARRONEM *de lingua Lat. lib.* VI. *pag.* 79. De Bacchantium furore res notissima est, vt nihil addi necesse sit.

CAP. XIV. Ad hoc duoque sequentia capita, præter auctores, qui ex instituto de iure Manium, siue de iure se-

que suis paterfam. constituit, vel hereditario iure adquisiuit: in quæ heredibus quibuscumque, vel minima ex parte institutis, nec heredibus modo, sed & bonorum possessoribus, iisque, quibus libertatis conseruandæ causa bona addicta fuerint, & omnibus omnino, qui heredum loco habeantur, & sepeliri & mortuum inferre licet. *l.* 5 *familiaria. l. 6. vel quod. D. de Religios. l.* 4. §. 21. *is autem cui. D. de fideic. libert.* Eorumque adeo sepulchrorum iura etiam apud heredes restituta hereditate manere. *l.* 42. *quia perinde. in fin. D. ad Tribell.* quinimo & ei, cui vt indigno post aditionem hereditas ablata sit, integra seruari placet. *l.* 33. *si quis heres. D. de Religios.* quod adeundo heres effectus, hereditate ablata, heres esse non desinat. *l.* 43. *ex facto. in fine. D. de vulg. & pupill.* Familiaria vero sepulchra ea esse statuuntur, quæ sibi quis familiæque suæ constituerit: quorum ea causa est, vt ad heredes etiam extraneos, cæterosque successores pertineant: hoc amplius & ad eos, qui in familia sunt; & licet heredes non sint; ad proximos vero cognatos adfinesque minime heredes institutos non pertineant. *l.* 8. *ius familiarium. l.* 13. *ius sepulchri. l.* 4. *si sepulchrum.*

pulchrorum scripserunt, quique omnibus satis noti sunt, conferri possunt *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom lib.* II. tit. I. §. 3. *seqq.* & Auctoris opus de *Form. Solenn. lib.* VII *pag.* 700. *sqq.* Sepulchrum quid proprie sit, & quomodo a *monumento* & *cenotaphio* differat, satis expoluerunt ICti. (vid. *L.* 2. §. 5. 6. & *L.* 42. *D. de religios. & sumt. funer.*) Pauca tantum hoc loco de variis sepulchrorum speciebus præmittere lubet, quanta nempe ad auctorem rectius intelligendum sufficere videbuntur. Sepulchra apud Romanos erant vel publica, vel priuata. Publica vel illustribus ob merita in rempublicam personis; vel pauperibus ex misericordia concedebantur. De istis res est notissima: de his AGGENVS VRBICVS in *Comment. ad Frontin. de limitibus agror. pag.* 60. testatur. *Sunt*, ait, *in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quæ loca culinas appellant.* Adde HORATIVM *serm. lib.* I. *Sat.* 8. *v.* 10. Priuata sepulchra erant vel singularia, siue propria, quæ quis sibi duntaxat, vel sibi & coniugi fecit: vel communia. Hæc rursus erant vel gentilitia, vel familiaria, vel hereditaria. Gentilitia sepulchra crebro commemorantur a veteribus, (vide *ex. gr.* VELLEIVM PATERC. *lib.* II. *cap.* 119. SVETONIVM in *vita Neronis, cap.* 50.) eaque toti genti erant communia, nemo vero in illa inferri debebat, nisi qui ad gentem illam sacraque gentilitia pertineret. (Vide CICERONEM *de legibus, lib.* II. *cap.* 22.) De familiaris & hereditariis sepulchris iam ipse auctor loquitur.

NON DESINAT] Est enim principium iuris Romani: *qui semel heres iure factus est, is semper heres manet*: de quo plura dixi in *Appendice* ad *Tract.* meam de *Testamentifactione.*

PERTINEANT]. Hoc alii negare, alii affirmare videntur. Nobis res vnice ex co pendere videtur, quibus legibus sepulchrum primum constitutum

C. de

C. de Religios. Vnde quæritur, an in familiaria sepulchra liberti inferri possint. Quod ea ratione defendi potest, quod in patroni familia liberti numerarentur, familiæque appellatione, IVSTINIANO in *l. vlt. C. de verb. signific.* teste, continerentur. Merito cum & gentilitium patronorum nomen ferrent, vt ALCIATVS, qui primus horridam & incultam Iurisprudentiam bonarum literarum luce illustrauit, *lib.* IV. *Dispunct. cap.* 3. adnotauit, confirmarique apertissimis TERTVLLIANI *in lib. de Resurrectio. carn. cap.* 57. & LACTANTII. *lib.* IV. *Instit. cap.* 3. testimoniis potest. Cuius rei, vt alia notiora omittam, exemplum est, quod Spurii Caruilii libertum, Caruilium quoque a PLVTARCHO in *Problem. n.* 59. & Pompeii quendam libertum Pompeium Lenæum a PLINIO *lib.* XXV. *cap.* V. & SVETONIO *in lib. de clar. Grammat.* & Lauream Tullium Ciceronis libertum ab eodem PLINIO, *lib.* XXXI. *cap.* I. & Cornelium Alexandrum Cornelii Lentuli libertum a SVIDA appellari videmus. Quamquam quid emendicatis suffragiis opus est, cum hoc ipsum Iureconsultorum testimonio confici possit. Est enim non obscure positum in *l.* 94. *is qui complures. D. de Leg.* III. & *l.* 108. *libertis. D. de Cond.* & *demonstrat.* ex eoque præterea perspicue demonstratur, quod Re extra familiam ita alienari prohibita, ne de nomine exeat, fideicommisso quo-

fuerit: adeoque alia sepulchra pure fuisse familiaria, quæ ad solos eiusdem familiæ homines, siue ad solos adgnatos pertinerent; alia vero mixta, siue familiaria & hereditaria simul, qualia illa, quæ hic auctor describit. Eodem etiam modo sequens mihi quæstio decidenda videtur.

APPELLATIONE]. Familiam enim esse vocabulum maxime πολύσημον ex *L.* 195 *D. de* V. S. notissimum est.

NOMEN] Immo & prænomen: vetusto autem seruili nomine loco cognominis postea vtebantur, vt hodie notissimum est, & supra iam indicatum *lib.* I. *cap.* II. Addo tamen adhuc illud, quod minus tritum, seruos publicos Romanorum manumissos nomen gentilitium (prænomen etiam, vt puto) magistratus illius, a quo manumissi erant, adsumsisse: seruos vero publicos municipiorum manumissos gentilitium sibi nomen efformasse ex nomine municipii illius, cui seruierant. Hoc enim omnino colligi posse puto ex loco paullo obscuriori VARRONIS in *libro* VII. *de lingua Lat.* circa finem, *pag.* 100. vbi ita loquitur: *Habent plerique libertini a municipio manumissi:* (nomen scilicet ab isto municipio) *in quo, vt societatum & fanorum serui, non sei uarium proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici: vt. a Fauentia Fauentinus, a Reate Reatinus; sic a Roma Romanus: vt. nominantur a libertinis orti serui publici, Romani, qui manumissi, antequam sub magistratus nomine, qui eos liberarunt, succidere cœperunt. Hinc quoque illa nomina Lesas, Vfenas, Carinas, Mæcenas: quæ quum essent a loco, vt Vrbinas, & tamen Vrbinus ab his debuerunt dici, ad nostrorum nominum similitudinem.*

que inuitati liberti intelliguntur. *l. 77. cum pater. §. 15. ab instituto. D. de Legat.* II. *l. 8. pater. §. 1. duobus. D. de Legat.* III. His & illud non æque tritum addamus, ipsa patronorum origine libertos censeri, veteribus placuisse, quod initium libertatis, quasi nouæ vitæ ab iis accepissent. *l. 6. adsumtio. in fin. l. 22. filii. D. ad Municip. l. 2. C. de Muncipalib. lib.* X. Ex quibus omnibus effici videbitur, familiaria sepulchra libertis patere. Quod tamen VLPIANVS negat: cuius in *d. l. 6. vel quod. D. de religios.* hæc sunt verba: *Liberti autem nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi heredes extiterint patrono, quamuis quidam inscripserint, se monumentum sibi libertisque fecisse.* Quæ ego ad hereditaria sepulchra referri verba debere aliquando existimaui, de iisque tantum eo capite agi: vt quod initio capitis scriptum est: *Sed in vtroque heredibus quidem;* sic interpretaremur, tam in eo, quod sibi heredibusque suis quis constituit, quam in eo quod hereditario iure adquisiuit. Nunc vereor, ne hæc tota ab Vlpiani mente interpretatio abhorreat. Omnis certe dubitationis tollendæ causa, inscribere monumentis veteres solitos, sibi, & vxori, & libertis libertabusque, posterisque eorum se fecisse, *Antiquæ Inscriptiones* ostendunt, quarum ego vnam exempli causa subieci. TELAVNIVS GENETLIVS NVMMVLARIVS DE BASILICA IVLIA, NATIONE BESS. SIBI ET CONIVGI, LIBERIS, LIBERTIS, LIBERTABVS QVE DEINCEPS DE DOMO SVA DESCENDEN-

ACCEPISSENT] Quia nimirum liberti patrono debebant, quod personæ esse cœperant: (vide *Heineccii Elem. Iuris Ciu. sec. ord. Instit* §. III.) hine merito patronus eis veluti parens & proximus adgnatus erat, vt docet IVSTINIANVS in Constitutione Græca apud *Cuiacium Obseruatt. lib.* XX. *cap.* 34. his verbis: Ἐπειδὴ δὲ δοκοῦσι συγγενεῖς εἶναι τῶν ἐλευθερωθέντων οἱ ἐλευθερώσαντες αὐτὰς, διὰ τοῦτο καὶ καλοῦνται ἐπὶ τῆς νομίμης διαδοχῆς. *Quum veluti adgnati libertorum patroni censeantur, hinc & vocantur ad legitimam successionem.* Hoc tamen ius, in patroni fauorem vnice introductum, non fuit reciprocum, quod probe notandum. Proprie enim liberti, quasi noui homines, neque gentem, neque familiam habebant, quum ne patrem quidem habuisse viderentur. (vid. VLPIANVS *Fragm. tit.* XII. *§.* 3.) Hinc proprie inter patroni adgnatos & gentiles non connumerabantur, neque adgnationis atque gentilitatis iuribus gaudebant. (vid. CICERO *Topic. cap.* 6. & de *Oratore lib.* I. *cap.* 39.) Quod vero patroni prænomen & nomen gentilitium adsumserint liberti, id eo minus mirandum est, quia & peregrini, ciuitatem Romanam adepti, eius prænomen & nomen adsumere solebant, cuius ope ius ciuitatis consecuti fuerant, (vt supra indicatum *lib.* I. *cap.* 13.) neque tamen propterea adgnati illius efficiebantur.

TIBVS

TIBVS POSVIT. Caueri plane interdum ſolebat, ne monumentum heredes ſequeretur. Idque his notis ſcribebatur H.M.H.N.S. quæ a *Valerio Probo* explicantur, & in Antiq. Inſcription. crebro occurrunt.

CAP. XV.

Qui & quatenus Religioſus locus fiebat.

Religioſum locum tum demum fieri, cum illatum corpus eſt, res eſt iure ciuili notiſſima. Nec enim monumentum per ſe quicquam religionis habet, planeque profani iuris eſſe intelligitur, priuſquam eo mortuus ſit illatus, quemadmodum *l.*4.§.6.*non fuit. D. ad Legem Iul. pecul.* arguit. Quamobrem cenotaphium religioſum non eſſe, venireque & donari poſſe bene Diui fratres reſcripſerunt. *l.* 7.*ſed Diui. D. de Rer. diuiſ. l.* 6. *vel quod. in fin. D.de*

CAP. XV. Res diuini iuris eſſe vel ſacras, vel religioſas, vel ſanctas, tyronibus notum eſt. Ipſum tamen huius diuiſionis fundamentum explicatu non adeo facile eſt, vt nulli dubitationi locus ſuperſit, quum præſertim veteres vocabula hæc ſæpe confundant, neque vbiuis in eadem adhibeant ſignificatione, rem ipſam denique magis per exempla, quam per accuratas definitiones proponant. Recentiores hactenus mihi rem magis implicaſſe, quam explicaſſe videntur: id quod alio tempore oſtendam. In præſenti enim de ſolis rebus religioſis ſolliciti erimus, & prætermiſſa operoſiore definitione, id tantum dicimus, quod certum eſt: *res religioſas* nimirum *eſſe ſepulchra:* quæ propoſitio, quum ſit ſimpliciter conuertibilis, vt logici loqui amant, nunc loco definitionis nobis eſſe poteſt. Eſt tamen vera tantum, quando vocabula, tum in ſubiecto, tum in prædicato, in propria ſua ſignificatione accipiuntur: alias enim res ſacræ & ſanctæ interdum quoque *religioſæ* dicuntur: (vid. GELLIVS *lib.* IV. *cap.* 9. FESTVS *voc. religioſum* & *religioſus*: VIRGILIVS *Æneid. lib.* II. *v.* 365. ibique SERVII *Comment.*) & contra ſepulchra aliquando dicuntur *ſacra*; (vid. CATVLLVS *Carm.* VII. *v.* 6. QVINTILIANVS *Declamat.* X.) aliquando etiam *ſancta*. (vid. CICERO *Philipp.* IX. *cap.* 6. eiusque *Fragmentum* ex libro IV. *de republ.* apud NONIVM *lib.* II. *num.* 805) Nobis interim ſufficere poteſt, quod apud ICtos res religioſæ & ſepulchra conſtanter vnum idemque ſignificent. Cætera ad aliud tempus accuratius explicanda reſeruabimus.

RESCRIPSERVNT] Sepulchra eſſe religioſa ob Deorum Manium religionem certum eſt: aſt de Cenotaphiis dubitabatur apud veteres. Multi & illa pro religioſis habebant, quia nimirum loco veri ſepulchri erant, iisdemque ritibus conſtituebantur, & alias quoque in ſacris imaginaria ſæpe pro veris valebant. (vid. SERVIVS ad *Æneid. lib.* VI. *v.* 325.) Nihilominus tamen Diui Fratres Cenotaphia omni religione ſoluerunt. Confer omnino *Iacobi Godofredi Diatr. de Cenotaphio*, quæ ſeparatim primum prodiit *Geneuæ* 1634. recuſa deinde Tom. III. *Theſauri Iuris*, & cum *Opuſculis variis*, *Helmſt.* 1721. 4to. Cui adde *Ill. van Bynkershœk Obſeruatt. Iur. lib.* I. *cap.* 5.

reli-

religiof. cum memoriæ tantum & honoris cauſa, ſine corporis illatione extruatur. *l.* 42. *monumentum. D. de Religioſ.* Cæterum cum cadauera cremari vſus obtinuiſſet, priuſquam in os mortui gleba iniecta eſſet, locus ille vbi corpus crematum erat, religioſus non habebatur: iniecta gleba, tum & humatus defunctus, & ſepulchrum eſſe, ac religione teneri incipiebat, vt a CICERONE *lib.* II. *de Legib. c.* 22. ſcribitur. Verum quatenus religio locum occuparet, videamus. Non eſt enim exiſtimandum, totum eum fundum, in quo monumentum eſſet, religioſum fuiſſe, ſed eatenus demum, quatenus corpus humatum eſſet, vt ex *Celſo* VLPIANVS *in l.* 2. §. 5. *ſepulchrum. D. de Religioſ.* refert. Sed & purum agrum monumento cohærentem profani iuris eſſe ab Impp. reſcriptum eſt. *l.* 9. *locum. C. de Relig.* Lapides plane, quibus monumentum inædificatum erat, religioſi habebantur, vt nec remoti quidem vindicari, quaſi ſemel iuris diuini facti, poſſent. *l.* 43. *quæ religioſis. D. de Rei vindic.* At non, quod circa ſepulchrum (in mediis enim plerumque agris ſepulchra, SICVLO FLACCO auctore, faciebant) ſpatium relinquebatur, eodem iure cenſebatur. Intra maceriam quippe ſepulchrorum hortis vel cæteris culturis loca pura ſeruata, ſi nihil nominatim venditor excepiſſet, fundi emtorem ſequebantur. *l.* 73. *ædeſacra. in fin. D. de Contrab. emt.* Eaque de cauſa monumentorum locus definiri, & quantum terræ ſpatium religioni cederet, deſignari, monumentisque inſcribi ſolebat. Hinc CICERO *Philipp.* IX. *c.* 7. ſepulchro Seruii Sulpitii, qui in legatione Pop. Rom. obierat, locum publice dari, &

SCRIBITVR] Cum quo loco conferendus omnino alter ſimilis VARRONIS *de lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 4. *pag.* 10. *Et quod terra*, ait, *ſit humus, ideo humatus, mortuus*, (ſcilicet dicitur) *qui terra ſit obrutus: ab eo, qui Romæ combuſtus eſt, aut in ſepulchrum eius abiecta gleba non eſt: aut ſi os exceptum eſt mortui, ad familiam purgandam; donec in purgando humo non eſt opertus, vt pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia funeſta manet.*

FACIEBANT] Locus, qui exſtat *pag.* 4. in editione *Gœſii*, quemque auctor non accurate perſpexiſſe videtur, ita ſe habet: *Inſpiciendum erit & illud, quoniam ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino errorem faciat. Nam in locis ſaxuoſis, & in ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus ſepulchra faciunt.* Immo Romanos plerumque iuxta viam publicam ſepulchra feciſſe, notiſſimum eſt. Hinc crebræ quoque illæ allocutiones ad viatores in monumentis ſepulchralibus veniunt. Idque etiam confirmat fragmentum illud terminale apud *Gœſium*, *pag.* 147. vbi inter alia hæc occurrunt verba: *Etenim ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt.*

pedes

pedes triginta quaquauersus designari censet. Plenæ sunt adeo monumentorum inscriptiones harum notarum IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. quæ hoc significant: *In fronte pedes decem, in agrum pedes* XX. *patere*. quæ notæ a *Valerio Probo* exponuntur. eoque HORATIVS *lib.* I. *Serm. sat.* VIII. *v.* 10. adludit:

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.

In fronte autem, vt ACRON interpretatur, in latitudine significat, *in agrum* vero in longitudine. Atque ita certo ambitu sepulchri locus, titulo id ipsum testante, concludebatur. Quod etiam AGGENVS VRBICVS sensit, cum in *lib. de limit. agror. ad Frontin. p.* 62. *Mæsilea*, inquit, *habent iuris sui hortorum modum circumiacentem, vel præscriptum agri finem.*

CAP. XVI.

Maceriis Sepulchra olim includi consueuisse.

Consentaneum instituto a nobis de sepulchris sermoni fuerit, adnotare VLPIANI locum ex *l.* 73. *æde sacra. in fin. D. de Contrahenda emt.* in quo ita est: *Intra maceriam sepulchrorum loca pura hortis vel cæteris culturis seruata, si nihil nominatim venditor excepit, ad emtorem pertinent.* Vnde notandum est maceriis sepulchra claudi solita. Quod & *Inscriptio* antiqua, quæ *Paduæ* exstat, docet his verbis: INFERENDI IN AREA, HVMANDI SEPELIENDIQVE IVS POTESTASQVE ESTO, VT HVIC AREAE, QVAM EGO DEFINII, ET A FRONTE MACERIAM DVXI, ET TITVLVM POSVI, VLTRA EAM AREAM ET MACERIAM IN FRONTE IN AGRO VERSVS LATE P. X. RETRO VSQVE AD CANABETVM HVIC AREAE CEDET, IN QVA PEDATVRA NEQVE HVMARI, NEQVE TVMVLVM FIERI VOLO, VT HABEAT EA ARA ET A TERGO ET A LATERE ACCESSVM SVVM.

INSCRIPTIO] Hæc Inscriptio reperitur etiam in Auctoris Opere de *Form. Solenn. lib.* VII. *pag.* 710. *in fine*: & in *Gruteri* Opere *Inscript. pag.* 896.

Hoc idem altera inſcriptio docet, quæ apud *Lirim* amnem in *Italia* viſitur. Ea eſt huiusmodi:

HVIVS MONVMENTI IVS, QVA MACERIA CLVSVM EST, CVM TABERNA ET COENACVLO HEREDEM NON SEQVITVR. NEQVE INTRA MACERIAM HVMARI QVEMQVAM LICET..

Ex quibus inſcriptionibus etiam illud, vt obiter moneam, comprobatur, quod VLPIANVS *in l.* 3. *§.* 3. *ſi quis in hereditarium.D. de Sepulc. viol.* ſcribit, licere cauere teſtatori, ne quis in ſepulchrum inferatur, vt reſcripto Imperatoris *Antonini* comprehenſum ait.

CAP. XVII.

De Teſtium numero legibus quibuſdam conſtituto.

FVit antiquis quoque legislatoribus curæ teſtium numerum & in pecuniariis & in capitalibus cauſis coartare, ne in infinitum excreſcentes probationes veritati tenebras offunderent. Vnde ARCADIVS in *l.* 1. §. 2. *D. de Teſtib Quamquam,* ait, *legibus quibuſdam ampliſſimus numerus teſtium definitus ſit* (quod ego ad legem Seruiliam repetundarum referri poſſe cenſeo, qua, vt VALERIVS MAXIMVS *lib.* VIII. *cap.* 1. *ex.* 10. ſcribit, centum atque viginti hominibus teſtimonium denuntiare licuit) *tamen ex conſtitutionibus principum hæc licentia ad ſufficientem numerum coartatur, vt iudices moderentur, & eum ſolum numerum, quem neceſſarium eſſe putauerint, euocari patiantur.* Quinetiam, quod apud nos ex Regis *Ludouici* XII. conſtitutione receptum eſt, vt ne in

ALTERA INSCRIPTIO] Hæc reperitur quoque in Auctoris Opere de *Form. Solenn. lib.* VII. *pag.* 711. Alia adhuc exempla reperiuntur tum apud Auctorem *loco cit.* tum apud *Gruterum* in Opere *Inſcript. pag* 656. *n.* 5. & *pag* 862. *n.* 5 nec non apud *Reineſium* in Opere *Inſcript. Cl.* VIII. *n.* 75. & *Cl.* XII. *n.* 37. 69. 70.

CAP. XVII. In tyronum gratiam hic obſeruo, auctorem hoc capite non agere de teſtibus conſtitutiuis, vt practici loqui amant, qui ad negotium aliquod perficiendum ſolennitatis cauſa adhiberi debent, vt v. g. in teſtamentis: ſed de teſtibus, qui in iudicio producuntur, quando de facti alicuius veritate quæſtio eſt.

OFFVNDERENT] Vnde iam olim A. Varius, qui habitus eſt iudex paullo durior, quum datis teſtibus alii tamen citarentur, dicere ſolebat: *aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio, quid ſatis ſit:* teſte CICERONE *de Finibus lib.* II. *cap.* 19.

ſingu-

ſingula factorum capitula plures, quam decem teſtes audiantur, id antiquitus legibus quibuſdam cautum inuenio. Sic enim legis Mamiliæ capite quinto ſcriptum erat: CVM CVRATOR HAC LEGE NON ERIT, TVNC QVICVMQVE MAGISTRATVS IN EA COLONIA, MVNICIPIO, PRAEFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO, IVRI DICVNDO PRAEERIT, EIVS MAGISTRATVS DE EA RE IVRISDICTIO, IVDICISQVE DATIO, ADDICTIOQVE ESTO: INQVE EAM REM IS, QVI HAC LEGE IVDICIVM DEDERIT, TESTIBVS PVBLICE DVMTAXAT IN RES SINGVLAS DECEM, DENVNTIANDI POTESTATEM FACITO. Refertur & apud VALERIVM PROBVM notis ſcripta edicti prætorii particula, quæ hoc habet: *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium Recuperatorium dabo: teſtibusque publice dumtaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam.*

CAP. XVIII.
De Pœna iniuſte prouocantium.

QVandoquidem cœpi quandam noſtrorum Principum conſtitutionem ab antiquitate arceſſere, admonendum & illud putaui, quod apud nos moribus conſtitutionibusque receptum eſt, vti his, quorum appellatio iniuſta pronuntiatur, ſexaginta Pariſienſium librarum pœna irrogetur, hoc ad exemplum quodammodo Romani moris eſſe introductum. Etenim pœnam quandam antiquis temporibus iniuſte prouocantibus inflictam PAVLVS *lib.* V. *Sent. tit.* XXXIII. §. I. oſtendit his verbis: *Ne liberum quis & ſolutum haberet arbitrium retractandæ & reuocandæ ſententiæ, & pœnæ, & tempora appellationibus præſtituta ſunt. Quod niſi iuſte appellauerint, tempora ad cauendum in pœna appellationis quinque dierum præſtituta ſunt.* De ea pœna ca-

MAMILIAE] Scilicet *de limitibus:* cuius capita enarrant ſcriptores rei agrariæ, ſed ita tamen, vt vix certo affirmari queat, quænam capita ad hanc, quæue ad alias leges limitaneas pertineant. Vide *Chriſt. Godofr. Hoffmanni Hiſtoriam Iuris Tom.* I. *pag.* 117. & 158. Auctoris Opus de *Form. Solem. lib.* II. *pag.* 153. *ſeq.* Scriptores rei agrariæ, nouiſſime a *Wilh. Gœſio* editos, *pag.* 339. *ſeq.* ibique *Gœſii* notas *pag.* 182.

CAP. XVIII. Cum hoc capite conferri poſſunt, quæ hac de re tradit *Iac. Cuiacius Obſeruationum lib.* XXI. *cap.* 33.

ueri fideiussoribus solitum sequentia eiusdem auctoris verba indicant, quæ ita habent: §. 3. *Quoties in pœna appellationis cautur, tam vnus, quam plures fideiussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit enim etiam per vnum idoneum indemnitati pœna consuli.* Eaque, forte, cautio est, quam de prouocatione exercenda olim dari solitam DIOCLETIANVS sustulit in *l. 6. eos. §. vlt. C. de Appellat.* Idipsum vero, quo de agimus, perspicue TACITVS *lib.* XIV. *Annal. c.* 28. his verbis probat: *Auxitque* (de *Nerone* loquitur) *patrum honorem, statuendo, vt qui a priuatis iudicibus ad Senatum prouocauissent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius ii, qui Imperatorem appellauere. Nam antea vacuum id solutumque pœna fuerat.* DIOCLETIANI quoque iam citata constitutio, ne temere omnibus ac passim prouocandi facultas præbeatur, eum qui malam litem fuerit prosecutus, a iudice pœna adfici præcipit.

CAP. XIX.

De Appellationum temporibus.

PRæter ea quæ superiori capite tractaui, sunt alia satis multa in appellationum quæstione necdum plane cognita, & ex vetustate eruenda. Quæ ego in proprium locum reiiciens, interim tritiora & vulgatiora adnotare contentus ero. Quæritur autem, quæ fuerint olim constituta appellationum tempora, de quibus in *l. 5. ei cuius. in fin. D. de Appellat. recip. l.* 20. *qui suspectum. §. vlt. D. de Appellat.* fit sermo. Nec ambiguum est, ad appellandum in propria causa biduum, in aliena triduum fuisse datum. *l.* 1. §. 5. *biduum.* §. 6. *quod in sententiis.* §. 11. *in propria. D. Quando appell. sit. l.* 5. *a sententia. l.* 20. *qui suspectum. in prin. D. de Appellat. l. 6. eos.* §. 5. *fin. autem. C. eod tit. l.* 3. *D. de Appellat. recip.* Idque ita Principum constitutionibus definitum fuisse existimo, quibus totam appellationum exercendarum formam fuisse præscriptam ex *l. penult. D. de Appell. recip. l.* 1. *D. de Libell. dimiss. l.* 1. §. 1. *D. Nihil. nou. app. pend.* & *l.* 1. §. 7. *dies. D. Quando appelland. sit.* colligimus. Sed hæc tempora a IVSTINIANO ampliata sunt, ex cuius constitutione decem dierum spatium a recitatione sententiæ ad appellationem interponendam datur. *Nou.* XXIII. *de Appellatio. & intra quæ temp.* Ob illa difficilior est quæstio, quot fuerint ad libellos Appellatorios, quos & Apostolos, & dimissorias litte-

litteras vocant, petendos præstituti dies. Quod tamen PAVLI ope expediri potest, qui intra quintum diem eos libellos peti necesse fuisse, *lib.* v. *Sentent. tit.* XXXIV. §. 1. ita docet. *Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ diriguntur, quæ vulgo Apostoli appellantur: quorum postulatio & acceptio intra quintum diem ex officio facienda est.* Quod a GRATIANO transcriptum est in *ca.* 24. *ab eo.* 2. *quæst.* 6. Hic & illa inspectio incurret, quæ fuerint prouocationis exercendæ peragendæque tempora præfinita. Certa enim fuisse ostendi *l.* 2. §. 3. *ei quoque. D. de Iudic.* & *l.* 1. *D. de Vacat.* & *excus. mun.* Videtur autem anni primum spatium, postea a IVSTINIANO huic rei biennium præstitutum. *l. vlt.* §. 4. *illud. C. de Temporib. appellat. Nou.* XLIX. *de his qui ingrediuntur ad appell.*

CAP. XX.

Prægnantium mulierum pœnam Romanorum aliorumque populorum institutis differri solitam demonstratur.

PRægnantis mulieris vltimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis a professione nostra hominibus notum est. Hoc enim & CLEMENS ALEXANDRINVS *lib.* II. *Stromat.* scribit, & scitissime M. QVINTILIANVS ad fictum argumentum accommodat in ea declamatione, cui titulus est, *Prægnans adultera*, *num.* 277. Nec vero Romanorum proprium hoc ius fuit. Ego enim Athenienses quoque vsos, indicio est, quod, veneficii apud Areopagitas postulatam prægnantem mulierem, cum in ea causa esset, vt capitis damnaretur, de consilii sententia fuisse, dum partum edidisset, AE-

ITA DOCET] Quod quomodo postea per Imperatorum Constitutiones mutatum sit, docet *Schultingius* in notis ad *h. l.* in *Iurispr. anteinst. pag.* 533.

CAP. XX. Latius hoc capite tractatum argumentum prosecutus est *Ægidius Menagius* in *Amænit. Iuris Ciu. cap.* XXI.

IVS FVIT] Fluit enim ex communi omnium gentium iure, siue ex naturali æquitate.

DE CONSILII SENTENTIA FVISSE] Locum hunc non esse integrum, quilibet facile perspicit: secundum connexionem ergo hac similiue ratione supplendus est: *de consilii sententia non prius mortis supplicio affectam fuisse, quam dum partum edidisset.*

LIANVS *lib.* V. *Var. Histor. cap.* 18. memorat. Sed quid Athenienses dico? Ab ipsis *Ægyptiorum* legibus huius laudabilis instituti origo repetenda est. Sic enim PLVTARCHVS *in lib. de Sera numin. vind. num.* 4. τὸν δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἄρ᾽ ἐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογεγράφθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ φυλάττειν. *Legem autem Ægyptiam nonne videntur recte quidam Græcorum descripsisse, quæ iubet grauidam, si mortis fuerit damnata, asseruari donec pariat.* Numquam igitur satis *Claudii* Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse DION *lib.* LVII. prodidit: cum tamen iuris sanctio non capitalem modo pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. *l.* 3. *D. de Pœn.*

CAP. XXI.

Constitutionis, qua Spadones fieri probibentur, auctor demonstratur.

Refertur in *l.* 4. §. 2. *idem diuus. D. ad Legem Cornel. de sicar.* HADRIANI rescriptum, cuius verba ita habent: *Constitutum quidem est, ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere.* Audimus constitutum hoc esse: a quo vero constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. DOMITIANI autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo SVETONIVS *in eius vita cap.* 7. *Castrari*, inquit, *mares vetuit: spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est.* AMMIANVS MARCELLINVS *lib.* XVIII. *cap.* 4. *Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratrique dissimilis, memoriam nominis*

PRODIDIT] Ego hoc de *Claudio* apud DIONEM non legi, qui præterea etiam res huius Imperatoris gestas non *lib.* LVII, sed *libr.* LX. enarrauit.

HANC ESSE CONSTITVTIONEM] Qui quidem anno tertio imperii, se IV. (si ordinarios tantum consulatus eius computes) siue IX. (si etiam suffectorum rationem habeas) Consule, cum T. Virginio Rufo, hoc constituit, vt ex *Eusebii* & *Cassiodori* Chronicis apparet. Conf. B. *Ioh. Guil. Hoffmanni Comment.* ad L. *Iuliam de adulteriis*, *cap.* IX. *pag.* 174. qui tamen alterum Consulem falso Q. Petilium Rufum nominat, quum ne quidem Rufi cognomen in gente Petilia reperiatur.

sui

ſui inexpiabili deteſtatione perfudit, receptiſſima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos Romanæ iuriſdictionis caſtraret quiſquam puerum. XIPHILINVS in *Domit. lib.* LXVII. *p.*759. κὴ διὰ τȣ̃το κὴ αὐτός Ἐαρίνȣ τινὸς εὐνύχȣ ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ κὴ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπȣδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐπὶ ἐκείνȣ ὕβρει, μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ρωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. *Quas ob res, etſi Earinum eunuchum amabat, tamen quia Titus exſectos quoque plurimum dilexerat, vetuit in eius contumeliam, ne quis in poſterum intra fines imperii Romani caſtraretur.* Quo nomine MARTIALIS ei aſſentatorio ſuo more pluribus locis gratulatur, *lib.* VI. *Epigram.* 2. cum ait:

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ,
Luſus & immeritos execuiſſe mares.
Vtraque tu probibes, Cæſar, populisque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude iubes.
Nec ſpado iam, nec mœchus erit, te Præſide quiſquam:
At prius, o mores, & ſpado mœchus erat.

Idem *lib.* IX. *Epig.* 7.

Tibi, ſumme Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt vrbes,
Populique babebunt, parere iam ſcelus non eſt.
Non puer auari ſectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ.

Et alio eiuſdem libri loco: *Epig.* 9. *v.* 5.

Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Auſonius talia monſtra pater:
Idem qui teneris nuper ſuccurrit ephebis,
Ne faceret ſteriles ſæua libido viros.

Cæterum idem ipſum & a NERVA poſtea conſtitutum eſſe, hiſtoriis proditum eſt. Sic enim *in eius vita* XIPHILINVS, *lib.* LXVIII. *pag.* 770. ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε κὴ περὶ τȣ̃ μὴ εὐνȣχίζεσθαί τινα. *Multas leges tulit, præſertim ne quis eunuchum faceret.* Et ZONARAS *tomo* II. *lib.* XI. *pag.* 583. de eodem. ἔτος ἐιο-

ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μή τινα τὰ παιδογόνα μόρια παρὰ Ρωμαίοις ἐκτέμνεσθαι. Legem tulit, ne quis in Romano imperio caſtraretur. HADRIANVS deinde non liberos tantum, ſed & ſeruos inuitos, ſinenteſue caſtrare, thlibiasque facere prohibuit. *l.* 4. *lege Cornelia. §. vlt. l.* 5. *bi quoque. D. ad Legem Cornel. de ſicar.* Memoratur etiam in *l. 6. ead.* a VENVLEIO Senatuſconſultum Neratio Priſco & Annio Vero Coss. factum, quo qui ſeruum caſtrandum tradidiſſet, dimidia bonorum parte multabatur. Ad extremum CONSTANTINVS quoque Eunuchos fieri, ſuperiorum Principum conſtitutionibus renouatis, vetuit. *l.* 1. *C. de Eunuchis.*



V. C.

V. C. IACOBO FABRO INQVISITOriarum classium in Senatu Parisiensi Præsidi, & Abbati Casæ-dei B. Brissonius S. D.

PVdet me plane, vir clarissime, verba tibi pro rebus dare, & in referenda gratia leui hoc literarum munere defungi. Sed quam tu in benemerendo, eandem vt in eo, quod rependitur, benigne accipiendo humanitatem mihi præstes, postulo. Ita nouus cumulus ad superiora tua in me beneficia accedet: quorum recordatione incensus cum grati tibi animi significationem aliquam dare gestiret animus, firmiora, quibus eam consignaret, hoc tertio Selectarum ex iure ciuili Antiquitatum libro, monumenta non habuit. Vale. Lutetiæ Paris. Idib. Iuniis.

M. D. LVII.





B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIB. III.

CAP. I.

De legitimo Vsurarum modo, & legitimæ vsuræ appellatione.

TOta de vsuris quæstio multorum abunde libris explicata est. Illud omnes silentio præteruectos miror, quis, & qua lege constitutus fuerit legitimus ille vsurarum modus, qui nostris Iureconsultis tam sæpe in ore est. *l. 3. §. vlt. D. Quod certo lo. l. 9. pecuniæ. l. 26. placuit. D. de Vsur. l. 3. in fi. D. de Annu. leg. l. 10. idemque. §. 3. si procurator. D. Mandati. l. 8. cum debitor. D. In quib. cau. pign. l. 1. §. 3. D. de Pignor. l. 4. D. de Naut. fœn.* De quo prius quam dicam quod sentio, hoc inprimis constare volo, legitimum vsurarum modum appellari statutum vsuris terminum, præscriptumque modum seu finem, ad quem vsque vsuras licuerit stipulari: exemplo eo, quo & modum legatis concessum lege Falcidia dicimus, quæ dodrante tenus legare permisit. *l. 1. §. 9. si vsusfructus. D. ad Legem Falc. l. 36. quod conditionis. D. de Donat. causa mort. l. 23. si legatarius. D. de Dolo. & Institut. de l. Falcid. in prin.* Huiusmodi vero vsurarum finem ante IVSTINIANVM centesimam fuisse contendo. Ex omnibus enim causis centesimam stipulari licuit, supra centesimam stipulari nihil licuit: licitumque fuit, quod intra centesimam consistebat, illicitum quod eam excedebat, fœnus: præterquam in nauticis pecuniis, in quib. quasi pro pretio periculi, quod in se creditor recipiebat, maiores centesimis vsuræ in stipulatum de-

OBSERVATIONES AD LIBRVM III.

CAP. I. Ad hoc caput conferendi sunt scriptores, qui hanc de fœnore & vsuris doctrinam ex instituto pertractarunt, ex quibus præcipue triumuiri illi, *Salmasius*, *Gronouius* & *Noodtius* mihi nominandi sunt, quorum scripta omnibus nota. Qui compendiosam tractationem amat, is adeat *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* III. *tit.* 15.

duci

duci poterant. *l. 26. eos.* §. 1. *C. de Vsur.* Nam & cum ad creditorem pecuniæ traiecticiæ periculum non pertinebat, intra legitimum modum vsurarum exactio coërcebatur. *l. 2. C. de Naut. fœn.* ac tamdiu demum a legitimarum aut vulgarium vsurarum obseruatione libera traiecticia pecunia erat, quamdiu, periculo creditoris, nauis in salo nauigabat: ad eam vero, cum in portu nauis stabat, discusso omni periculo, reuocabatur. *l. 1. C. de Naut. fœn.* Idcirco quod pro opere serui, traiecticiæ pecuniæ gratia, vt fieri solebat (*l. 23. traiecticiæ. D. de Obligat. & actio.*) secuti, in stipulatum deductum erat, non vltra finem centesimæ debebantur. *l. 4. nihil.* §. 1. *pro operis. D. de Naut. fœn.* Cuius vera lectione ex Pandectis Florentinis pridem prodita, sunt tamen qui in eo adhuc errore versentur, vt nulla illius legis bene interpunctæ ope, contra diserta atque aperta Iustiniani verba, adfirment, centesimarum vsurarum obseruatione antiquitus traiecticiam pecuniam circumscriptam. Hoc vero qui admittunt, omnem peruertunt nauticarum, cæterarumque pecuniarum differentiam. Etenim vel extra nautici fœnoris causam centesimas vsuras toleratas, & CICERO *in epist. ad Attic. lib. V. ep. vlt.* & SIDONIVS APOLLINARIS *lib. IV. Epist. 24.* & *l. 8. si pro mutua. C. si cert. pet.* probant. Nec tamen nego, centesimas vsuras grauissimas olim visas, neque passim frequentatas, vt & Maximæ & Grauissimæ appellentur in *l. 38. qui sine. D. de Negot. gest. l. 7. tutor.* §. 8. *idem solent. l. 54. non existimo. D. de Administr. tut.* Hoc vero dico, licitas, legeque permissas fuisse, ac proinde legitimarum vsurarum appellatione exaudiendas. Quod cum dico, graues mihi constitutos esse aduersarios scio, qui de hac re secus atque ego sentiunt, quorum auctoritati ipsa veritate nixa sententia nostra apud æquos iudices non cedet. In hac adeo opinione plurimum aliquot locorum coniunctione, collationeque confirmor. Nam pecuniæ, quam in vsus suos verterint, modo legitimas, modo maximas vsuras debere tutores dicuntur. *l. 7. tutor qui repertorium.* §. 4. *pecuniæ. l. 54. non existimo. D. de Administr. tut. l. 1. C. de Vsur. pupill. l. 3. C. Arbitr. tut. l. 38. qui sine. D. de Neg. gest.* quibus verbis cum promiscue atque indifferenter nostri auctores vtantur, maximam autem vsuram centesimam accipi oportere nemo neget, quod ea amplior vberiorque nulla licita fuit, vt & *d. l. 8. si pro mutua. C. si cert. petat.* probat: consequens est, & legitimæ vsuræ appellatione

cen-

centesimam intelligi. Alia vero in illa quæstione legitimarum, alia pupillarium vsurarum, quæ a nonnullis confunduntur, causa constituenda est. Non enim quæ pupillis præstantur vsuræ, centesimæ semper incrementum recipiunt, sed in his demum causis, quæ legibus definitæ sunt: videlicet, si vel pecuniam in vsus suos tutores verterint; vel apud se pecuniam non esse, improbe infi. ciati, mendacii prætoris sententia conuicti sint; vel deponere pecuniam in prædiorum comparationem iussi, id facere neglexerint; aut a debitoribus pupillaribus centesimas exegerint; vel ipsis pupillis, ad onera sua expedienda, sub iisdem vsuris pecuniam accipiendi necessitatem imposuerint, cum nullam penes se quantitatem esse falso negassent. Ex reliquis causis, cum tutelæ restitutioni vsurarum emolumentum accedit, non maximæ legitimæque tutori irrogantur, sed secundum morem regionis, in qua res agitur, vel quincunces, vel semisses, vel trientes, aut quæ aliæ in ea regione frequentantur. *d l. 7. tutor.* §. 4. *pecuniæ.* §. 10. *quæ sint autem.* & *l. 1. C. de Vsur. pupillarib. l. 10. si postea. D. Rem pupilli saluam fo.* Pupillarium igitur vsurarum modus iudicis arbitrio, extra quam si cum tutore ex supra scriptis causis pupilli agant, vel ipsi a debitoribus suis centesimam sint stipulati, ad regionis morem redigitur, *argum. l. 1. D. de Vsur.* Atque ita in *l. 9. quotiens.* §. 4. *sed* & *si. D. de Adm. tut.* & alias, vbi occurrent, pupillares vsuræ, accipiendæ sunt. Verum ne longius a proposito aberret oratio, concludamus tandem, vsuram legitimam, centesimæ fine modoque contineri. Ex quo efficitur, ad centesimam referendum esse, quod & responsum & constitutum est, in fraudem vsurarum adiectam pœnam, in eo, quod legitimam vsuram excedit, non valere. *l. 13. Iulianus.* §. 26. *idem Papinianus. D. de Actionib. emt. l. 15. cum allegas. C de Vsur.* Eodemque modo apud Papinian. in *l. 1.* §. 3. *pacto. D. de Pignorib.* illa verba: *fini legitimæ vsuræ*, sic interpretanda esse, id est intra centesimæ modum. Quibus ita positis, reliquum est, vt quare centesima legitimus vsurarum modus appelletur, inuestigemus. Eam vero appellationem ex eo descendere nemini non probabitur, quia lege aliqua præscriptus & constitutus vsuris hic modus fuerit. Id enim demum legitimum in libris nostris, vt alias pluribus ostendam, appellari solet, quod lege aliqua, vel senatusconsulto proditum confirmatumue est. Coërcitam vero multis legibus fœneratorum

acer-

acerbitatem conſtar, legesque in hanc ſententiam latas *fœnebres* appellatas FESTVS *lib.* VI. *v. fenus.* auctor eſt. Sunt & Principum conſtitutionibus illicitæ fœnerationes repreſſæ. *l.* 20. *constitutionibus. C. de Vſur.* Sed qua potiſſimum lege intra centeſimam vſurarum exactio cohibita ſit, hoc eſt, de quo quærimus, & cuius gratia tota hæc diſputatio ſuſcepta eſt. Puto autem hoc eſſe *Gabinia lege*, ſenatusque conſultis effectum: quibus hoc comprehenſum fuiſſe CICERO *lib.* V. *Epiſt. vlt. ad Attic.* indicat, vti in creditorum cauſa centeſimæ perpetuo fœnore ducerentur, vetitumque ex ea ſyngrapha ius dici, ex qua maius vſura centeſima fœnus promiſſum eſſet: nec tantum fœneratoribus, & ſupra modum lege conſtitutum accipientibus, ſed & verſuram facientibus pœnam conſtitutam. Quod & in *Cilicia* edicto translaticio cauiſſe ſe, cum eam prouinciam pro conſule obtineret, CICERO refert. Eiuſmodique a LVCVLLO Aſiam proconſule regente edictum propoſitum PLVTARCHVS in eius vita *pag.* 504. ſcribit: πρῶτον μὲν, ait, ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι. *Primum fœnoris nomine non amplius centeſima exigi mandauit.* Apparet igitur legitimæ vſuræ nomen centeſimæ merito tribui. *arg. l.* 6. *legitima. D. de Pact. l.* 1. *D. Vnde legit.* eodemque, ſenſu licitum vſurarum modum accipi oportet in *l.* 11. *ſolutum.* §. 3. *ſi in ſortem. D. de Pign. act.* & *l.* 44. *pœnam. D. de Vſur.*

GABINIA LEGE] Sed lege Gabinia id tantum cautum fuiſſe, ne vlli prouincialium legato Romæ pecunia ſub vſuris mutua daretur, neue ex tali ſyngrapha ius diceretur, oſtenderunt abunde *Gronouius* & *Noodtius.* (vid. *Heinecc Synt. lib.* III. *tit* 15. §. 14. *Chriſt. Godefr. Hoffmanni Hiſtor. Iur. Tom.* I. *pag.* 122.) Hinc laudati viri ex CICERONIS *Epiſtola*, ab auctore noſtro citata, in eam cogitationem inciderunt, legitimum vſurarum modum primum ex edicto Prætoris deſcendiſſe, quia Præſides in prouinciis edicta ſua plerumque ad exemplum edicti vrbani componere conſueuerunt: deinde vero illum & SC. & Principum conſtitutionibus fuiſſe confirmatum. (vid. *Heinecc, l. c.* §. 15.)

TRANSLATICIO] id eſt, vel ex edictis priorum Præſidum, vel ex edicto vrbano translato. Vtraque ſignificatio hic locum habere poteſt. Nam immediate Ciceronem hoc caput ex anteceſſorum edictis; mediate ex edicto vrbano tranſtuliſſe exiſtimo.

TRIBVI] Sed legitimum non ſemper id tantum ſignificat, quod ex lege ſtricte ſic dicta: verum interdum quoque generatim, quod iure, ſiue ciuili, ſiue honorario, conſtitutum eſt.

CAP. II.

Vnde legitima Ætas appellata sit.

QVod proxime de vſura, id nunc de ætate legitima in mentem venit quærere, quid cauſæ ſit, cur ita paſſim in libris noſtris XXV. annorum ætas appelletur. Sic enim appellatur in *l. 27. ex duobus. D. de Neg. geſt. l. 32. quæro. in fi. D. de Teſtament. tut. l. 1. D. de Fideiuſſor. tutor. l. 77. cum pater. §. 14. curatoris. D. de Legat. lib. II. l. 20. Aurelio. §. 1. D. de liber. leg. l. vlt. §. 9. diuus. D. de Publican. l. 41. fideiuſſores. D. de fideiuſſorib. l. vlt. in fi. D. de Appellatio. l. penult. C. Quando dies leg. ced.* & aliis multis locis. Multos de ea re, quid ſentirent, percontatus, nullum vnquam relatu dignum reſponſum tuli. Probabile quidem eſt, inde appellationem hanc fluxiſſe, quod lege aliqua adoleſcentibus id ſpatium ætatis ad res ſuas recipiendas præſcriptum fuerit. Id modo in dubitationem venit, qua ſit iſtud lege conſtitutum. Enimuero ſi in re obſcura & antiquitatis tenebris inuoluta hariolari licet, temptabo dicere *lege Lætoria* id eſſe inductum, quam de minoribus XXV. annis ſcriptam, totamque in eo argumento verſatam, ex iis eius legis capitibus, quæ ad nos peruenerunt, facilis coniectura capi poteſt. Quorum vnum ex CICERONE *lib. III. Offic. c. 15.* colligimus, quo circumſcriptio adoleſcentium vindicabatur, ætatique fraudibus expoſitæ ſuccurrebatur. Alterum ex SPARTIANO *in M. Anto. Philoſophi vita, c. 10.* quo minoribus XXV. annis curatores dandos continebatur. Tertium ex SVETONIO *lib. IV. prætorum*, quo minores XXV. annis ſtipulari vetabantur, id eſt, vt PRISCANVS, *lib. VIII.* & *lib. XVIII.* interpretatur, ἐπερωτᾶσθαι, & vt noſtri auctores loquuntur, ſpondendo obligari. Quo reſpexiſſe PLAVTVM in *Rudente, Act. V. ſc. 3. v. 24.* vir clariſſimus, idemque in omnium bonarum artium diſciplinis egregius, *Æmarus Ranconnetus* me aliquando admonuit. Verba PLAVTI hæc ſunt:

- - - Cedo qui cum habeam iudicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, niue etiam dum ſiem
Quinque & viginti annos natus.

Quibus ego coniecturis adductus ad ſuſpicandum, id quoque ea lege cautum fuiſſe, aut niſi lege expreſſum fuit, ex ſententia certe arreptum crediderim, vt adoleſcentibus rerum ſuarum adminiſtratio tum demum, cum ad viceſimum quintum annum perue-

uenissent, committeretur. Atque eam legem PLAVTVS forte intellexit, cum in *Pseudolo* sic Callidorum loquentem facit: *Act.* 1. *sc.* 3. *v.* 69.

Tum lex me perdit quina vicenaria,
Metuunt credere omnes.

Credibile quoque est, ex hac lege descendisse tempus in integrum restitutioni statutum: quod & idcirco legitimum appellatur in *l.* 19. *interdum. D. de Minorib.* Exposui breuiter coniecturam nostram. Qui melius coniecerit, is optimus vates esto.

CAP. III.

Legis Iuliæ Miscellæ sententia in aliquot Iureconsultorum locis demonstratur.

COnditiones, quæ aliquod omnino Nuptiis impedimentum adferunt, tanquam in fraudem legis adiectas, reiici, consentiens in vnum omnium Iureconsultorum fert opinio. In his PAPINIANVS: *Quod in fraudem*, ait, *legis ad impediendas nuptias adscriptum est, nullam vim habet, veluti*: TITIO PATRI CENTVM, SI FILIA, QVAM HABET IN POTESTATE, NON NVPSERIT. VEL FILIO F A. SI PATER EIVS VXOREM NON DVXERIT. *l.* 79. *heres.* §. *vlt. D. de Condit. & dem.* Et alias, hac mulieri iniecta conditione, SI ARICIAE NON NVPSERIT, interesse traditur, vtrum fraus legi facta sit, necne. Nam si ea sit, quæ alibi nuptias non facile inuenire possit, interpretandum Iulia censebat, ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset adscriptum. Legem enim vtilem Reipub. sobolis scilicet procreandæ causa, interpretatione adiuuandam esse. *l.* 64. *hoc. modo. D. de Cond. & demonstr.*

VATES ESTO] Nihil certius auctoris coniectura, quam omnino confirmant verba in L. 2. C *Theod. de donat. lib.* VIII. *tit.* 12. hæc: *donec annos Lætoriæ legis egressus, legitimam compleuerit ætatem*: vt ipse quoque auctor postea agnouit in Opere de *Verb Signif. voc. legitima ætas.* Cæterum de lege Lætoria, præter interpretes ad PLAVTVM *ll. cc.* & scriptores de legibus, vide inprimis *Iac. Godofredi Comm.* ad *legem cit. Cod. Theod. Arnoldi Vinnii Comment.* ad §. 2. *Instit. de curat* ibique additamenta *Ill. Heineccii*, *pag.* 115. *seqq* huiusque *Syntagma Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 23.

CAP. III. Ad totius huius capitis illustrationem cum fructu legi potest *Ill. Heineccii Comment.* ad *L. Iul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 16.

Legis

Legis denique beneficio, aliis id genus conditionibus reiectis, mulieres sibi relicta legata capere nostri auctores definiunt in *l.* 72. *cum tale. §. rescriptum. l.* 74. *mulieri. D. eod. tit.* Reticetur vero in iis omnibus locis eius vtilissimæ legis nomen, quod ego post accuratam cogitationem inuentum ignorari diutius non patiar. Mea hæc est coniectura (temerariam enim adseuerationem, quoad viris doctissimis hoc probari intellexero, inhibebo) legem Iuliam Miscellam significari, qua id comprehensum fuisse IVSTINIANVS *l.* 2. *C. de Indicta vid. toll. & in Nou.* XXII *de nuptiis. cap.* 43. *qua vero.* auctor est, vt mulieres, quibus mariti viduitatem induxissent, etiam secundis contractis nuptiis nihilominus sibi relicta legata consequerentur, præstito prius iureiurando, se procreandæ sobolis gratia ad secundas nuptias euolare. Cui legi IVSTINIANVS in illis locis, quod ad iusiurandum attinet, abrogauit. Eo vero lex per interpretationem prudentium producta est, vt omnes inde conditiones, quæ liberam auferant nuptiarum contrahendarum potestatem, legatariis remittantur, quasi nullam fieri nuptiis moram oportere lex senserit.

CAP. IV.

Quibus magistratibus, & qua lege Multam dicere permissum fuerit.

HIs demum competere multæ dicendæ ius VLPIANVS tradit, quibus publice iudicium est, vel, vt idem alio loco scribit, quibus iudicatio data est. *l.* 131. *aliud est fraus. D. de Verbor. signific.*

SIGNIFICARI.] Recte omnino auctoris coniectura se habet: sed id modo dubitationem habere videtur, quænam sit illa lex, quæ *Iulia Miscella* vocatur. Multi, decepti vulgari *Nouellæ all.* translatione, putarunt, eam a Iulio quodam Miscello nomen habere: sed falli illos, eamque non propriam aliquam legem, sed caput potius aliquod legis Iuliæ & Papiæ Poppææ fuisse, post *Iac. Godofredum* luculenter demonstrauit *Ill. Heineccius* in *Comm.* ad dictam legem *Pap. Popp. loc. cit. pag.* 303. *seq.* Confer etiam interpretes ad dictam *Nouell.* nec non *Menagii Amœnit. Iur. Ciu. cap.* XXXIX. *voc. Miscella.*

DATA EST] Hoc est, qui iurisdictionem habent. Quamuis enim multæ dictio proprie ad imperium, non ad iurisdictionem pertineret: ea tamen imperii particula, quæ in modica coërcitione consistebat, (ad quam multæ dictio pertinet) semper erat cum iurisdictione coniuncta, adeoque & *mixtum imperium* communiter a ICtis vocatur, siue *non merum,* (opponitur enim mero imperio) siue *imperium, cui inest iurisdictio.* (vid. L. 1. §. 1. L. vlt. §. 1. *D. de offic. eius cui mand. iurisd.*

fic.

fic. l. 2. in fi. D de Iudic. Secundum hoc magiſtratus omnes Romæ multæ dicendæ ius habuiſſe inuenio. Nam vt a Coss. ordiar, vel ipſis Senatoribus, qui tardius in ſenatum veniſſent, vel omnino non veniſſent, multam irrogaſſe eos CICERO *in Anton. ſ. Philipp.* 1. *c.* 5. oſtendit. De prætore ſatis in Pandectis expreſſum eſt. *l.* 2. *D. Si quis in ius voc. non ier. l.* 1. *§.* 1. *D. de Vent. inſpic.* Ædiles quoque multam dixiſſe, & LIVIVS aliquoties, & GELLIVS *lib.* X. *cap.* 6. indicant. De Tribunis plebis, ſi quis GELLII *lib.* VII *cap.* 19. auctoritatem defugiat, exemplis LIVIVS abundat: ex quo etiam didicimus, a Tribunis dictæ multæ certationem apud populum fuiſſe, qui de ea concilio habito ſtatuebat. Horum ta-

L. 3. *D de iurisd. L.* 9. *§. vlt. D. ad L. Iul. peculat.*)

MAGISTRATVS OMNES] Omnes enim magiſtratus habebant iurisdictionem, adeoque etiam id, ſine quo illa exerceri nequit; (vid. *L.* 2. *D. de Iurisd.*) id eſt mixtum imperium, vt iurisdictionem ſuam tueri poſſint. (vid. *L. vn. D. ſi quis ius dicenti non obtemp.*) Hinc lex illa apud CICERONEM *de legibus lib.* III. *cap.* 3 (quæ omnino ex iure publico reipublicæ Romanæ deſumta eſt) *Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem multa, vinculis, verberibusue coërceto, ni par maiorue poteſtas populusue prohibeſſit, ad quos prouocatio eſto.* Conf. omnino *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. lib.* IV *tit.* 6. §. 5. eiusque *Elem. Iur. Ciu. ſec. ord. Inſtit.* §. 1318 *ſeqq.* & *ſec. ord. Pand.* P. 1 §. 255. ſeqq.) Quum vero diuerſum eſſet magiſtratuum imperium, & alius alio maius haberet: (vid. GELLIVS *lib.* XIII. *cap.* 12. *ſeqq.*) in multæ quoque dictione quædam conſpiciebatur differentia. Hinc legibus antiquis definitum fuiſſe videtur, quantam cuique magiſtratui multam irrogare liceret. (vid. L. 244. D. de V. S. TACITVS *Annal. lib.* XIII. *cap.* 28. L. 6. *C. de mod. mult.*) Addo adhuc, Pontificem Maximum quoque, tanquam ſacrorum iudicem, multæ dictionem habuiſſe. (vid. LIVIVS *lib.* XXXVII. *cap.* 51. & *lib.* XL. *cap.* 42. CICERO *Philipp.* XI. *cap.* 8.)

ROMAE] Sed quid de magiſtratibus municipiorum & coloniarum dicendum? De iis dubitatur, ob *L.* 26. *pr. D. ad municipal.* & *L. vn. pr. D. ſi quis ius dicenti non obtemp.* Non omne tamen imperium mixtum iis denegandum eſſe, vel exinde patet, quod etiam ius aliquod coercendi habuerint, iuxta SICVLVM FLACCVM *de condit. agror pag.* 1. vbi hæc occurrunt verba: *Regiones dicimus, intra quarum fines ſingularum coloniarum, aut municipiorum, magiſtratibus ius dicendi coërcendique eſt libera poteſtas.* Immo Ædiles quoque in municipiis & coloniis ius multæ dicendæ habuiſſe, probari poteſt ex *L. vnic.* §. 2. *D. de via publica.* Confer *V. Excell. Euerh. Ottonis librum de Ædilibus Colon. & Municip. cap.* XII. §. 2. *ſeqq. pag.* 238. *ſeqq.*

A COSS.] Conſules loco Regum creati, ſtatim quoque ius multæ dicendæ ſibi arrogaſſe videntur: idque per legem confirmauit, ſimulque modum impoſuit Valerius Poplicola, teſte PLVTARCHO in eius vita, *pag.* 103.

STATVEBAT] Immo ab omnibus magiſtratibus, quando vel plane inique, vel ſupra poteſtatis ſuæ modum multam irrogabat, ad populum prouo-

men repreſſa Neronis temporibus poteſtate etiam illud conſtitutum TACITVS *lib.* XIII. *Annal. c.* 28. refert, vt ne multam ab his dictam Quæſtores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio tempore contradicere liceret, deque eo Coss. ſtatuerent. Verum enimuero hanc ſibi multæ dictionem in libera Republ. magiſtratus propria auctoritate non vindicarunt. Legem itaque fuiſſe ambigendum non eſt, quæ nec obedientes & noxios ciues multa pro iuriſdictione ſua coërcere magiſtratibus permiſerit. Eam ab A. Aterino & Sp. Tarpeio Coss. latam DIONYSIVS HALICAR. *lib* X. *pag.* 674. his verbis docet. *πρῶτον μὲν ἦν ἐπὶ τῆς λοχιτίδος ἐκκλησίας νόμον ἐκύρωσαν, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τὰς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν, ζημιοῦν. Τέως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις. Primum itaque centuriatis comitiis lex lata eſt, licere omnibus magiſtratibus ſuæ poteſtatis læſæ reos multare. Antea enim id non omnibus, ſed ſolis Conſulibus licebat.* Curatoribus etiam aquarum multæ dicendæ ius Senatuſconſulto, quod a FRONTINO *ſub. fin. lib.* II. *de Aqua ductib.* ponitur, conceſſum fuit. Præſidibus prouinciarum id ipſum principalibus mandatis permiſſum, VLPIANVS *in d. l.* 131. *alius. in fi. D. de V. S.* auctor eſt. Procuratoribus vero ſuis hanc ipſimet Cæſares poteſtatem denegarunt. *l.* 2. *C. de Modo mult.*

CAP. V.

De vetuſta Aquæ & Ignis interdictione, & ea, quæ in locum eius ſucceſſit, Deportatione.

NEque libertatem, neque ciuitatem inuitus quisquam amittere iure Quiritum poterat, quemadmodum a maioribus conſti-

cari poterat, vt vel ex lege, ſupra ex CICERONE recitata, abunde apparet, & exemplis inſuper probari poſſet, ſi dubium eſſet. Id tamen monere debeo, & multæ dictionem, & multæ certationem apud populum duplicis generis fuiſſe, quæ auctor non diſtinxiſſe videtur. Aut enim magiſtratus, protuenda ſua iuriſdictione, auctoritate legibus ſibi conceſſa, contumacibus multam dicebat; de qua eo tantum caſu, ſi prouocatum eſſet, apud populum certabatur. Aut magiſtratus aliquem apud populum accuſabat, eique pœnæ loco certam multam dicebat, de qua populus in comitiis demum cognoſcere deberet. De hac multæ certatione loquitur CICERO *de legibus lib.* III. *cap.* 3. his verbis: *Quum magiſtratus iudicaſſit irrogaſſitue, per populum multæ pœnæue certatio eſto.*

A. ATERINO ET SP. TARPEIO COSS.] De horum Conſulum nomine vide quæ auctor ſupra diſputauit *lib* I. *cap.* 3.

tutum

tutum CICERO *in suis pro Corn. Balbo, c.* 13. *pro A. Cæcinna, c.* 33. *pro Domo sua. c.* 29. orationibus scribit. Eodem iure ciui Rom. spiritus eripi, vitaque adimi non poterat: quod elegantissime apud SALLVSTIVM *in Coniurat. Catilin. c.* 51. Cæsar persequitur. Atque ita nec ciuitate extrudi, nec vltimo supplicio adfici noxii ciues poterant. Quorum tamen impunita peccata non relinqui, cum disciplinæ publicæ vigor postularet, inuenta ratio est, qua ciuitate, saluis maiorum constitutionibus pellerentur. Nimirum aqua & igni sontibus interdici institutum est, vt his subsidiis, quibus vita humana continetur, destituti, in alias terras migrare, seque in aliam ciuitatem conferre cogerentur, in quam recepti Romanam amittebant: quod duarum ciuitatum eos esse ciues æque Romanorum instituta legesque non paterentur, vt a CICERONE *pro Balbo, c.* 11. & a CORNELIO NEPOTE (si modo is eius libelli auctor est) *in Pompo. Attici vita c.* 3. traditum est. Hoc ergo consilio duobus illis elementis, sine quibus vita foueri non potest, interdicebantur: quæ proinde nuptiis quoque adhibita PLVTARCHVS *in Problemat. num.* 1. FESTVS *lib.* 1. *v. aqua.* & SCAEVOLA *in l. penult.* §. 1. *D. de Donat. inter vir.* testantur. Quorum vtrumque OVIDIVS *lib.* IV. *Fastor. v.* 789. duobus his versibus complexus est:

An quod in his vitæ caussa est, hæc perdidit exul,
His noua fit coniux, hæc duo magna putant?

LACTANTIVS *lib.* II. *Institut. cap.* X. *Exulibus quoque,* ait, *aqua & igni interdici solebat. Adhuc enim nefas videbatur, quamuis malos, tamen homines, supplicio capitis adficere. Interdicto igitur earum rerum vsu, quibus vita humana constat, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus.* Ex quibus cum POMPONIO *in l. vlt. D. de Legation.* efficimus, populum vi ipsa ciuitate expulisse eos, quibus aqua & igni interdicebat, cum ne tecto quidem excipere eos liceret. Quod & ipsa interdictione nominatim comprehensum fuisse CICERO *pro Domo sua c.* 30. indicat. *Qui ciues,* ait, *Romani erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est mutandi soli caussa venerant. Id autem vt esset fa-*

NVPTIIS QVOQVE ADHIBITA] Confer Auctorem aliosque, qui de ritu nuptiarum ex instituto scripserunt, ex quibus huius moris illustratio abunde peti potest.

ciendum, non ademtione ciuitatis, sed tecti, & aquæ & ignis interdictione faciebant. Quinetiam qui ita damnatos celassent, recepissent, tenuissent, lege Iulia de vi tenebantur, quemadmodum PAVLVS *lib.* V. *Sentent. tit.* XXVI. §. 3. scribit. Quod a Cæsare, cum damnatis de vi aqua & igni interdici iuberet, legi suæ insertum fuisse probabile est. Hoc amplius, cum Senatoribus aqua & ignis interdicebatur, rogationi adscribi solitum ex *eadem* CICERONIS *oratione c.* 31. colligimus, vt ne eum suo loco censor legeret, vt non modo non in ciuium numero esse, sed nec in eo dignitatis, in quo collocatus esset, gradu stare permitteretur. Atque hæc pœna antiquis legibus, (quemadmodum ex libris nostris, *Liuiique* ac *Paterculi*, & aliorum, qui res gestas pop. Rom. litteris prodidere, scriptis intellegimus) nulla exilii facta mentione, irrogabatur. Mansit que eius vsus ad Imperatorum vsque tempora, quibus primum reorum in insulas deportatio in Rempub. inuecta, & ne iuris antiqui vincula aperte reuelli viderentur, in locum aquæ & ignis interdictionis suffecta est, vt vetusti moris vmbra retenta, qui deportarentur, sic haberentur, quasi aqua & igni interdicti essent. *l.* 2. §. 1. *D. de Pœn. l.* 3. *D. ad Legem Iul. pecul. l. penult. in fin. D. de Var. & extr. cognit.* Itaque aqua & igni interdictos nostri deportatos interpretantur. *l.* 1. §. 2. *bi quibus. D. de Legat.* III. *l.* 2. *D. de Pub. iud.* Eademque illorum verborum & in aliis locis interpretatio facienda est. *l.* 18. *Imperator. D. de Statu bo. l.* 10. *qui dolo. in fi. D. de Vi. publ. l.* 5. *amissione. D. de Cap. min. l.* 4. *in fin. D. de Gradib. l.* 38. *cum quis. D. de Solut.*

CAP. VI.

Constitutiones duæ de Interdictis proferuntur.

ERe est, quando in hoc sermone versamur, Augusti constitutionem de aqua & igni interdictis, in medium proferre, qua in continenti & in insulis, quæ quadringentis minus stadiis a continenti abessent, exceptis Rhodo, Co, Lesbo, Sardibus, morari eos versarique prohibuit, alia præterea quadam constitutione

SVFFECTA EST] Non accurate rem exprimunt, qui ita scribunt. Proprie enim deportatio non successit in locum aquæ & ignis interdictionis, sed potius illi addita fuit, ne exules libere, vt antea, vagarentur. Vide TACITVM *Annal. lib* VI *cap* 30. Confer præterea ad totum hoc caput *Ill. Heneccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* 1. *tit.* 16. §. 9. *seqq.* & *Append. ad lib.* 1. *cap.* 1. §. 82. *seq.*

sua

ſua complexus, quæ DION. *lib.* LVI. *pag.* 587. ita retulit: ἀπηγόρευσε, μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι, πλὴν κῶ τε καὶ ῥόδου, σαρδοῦς τε καὶ λέσβου. ταύτας γὰρ οὐκ οἶδ' ὅπως μόνας ὑπεξείλετο. ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί πῃ ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς καὶ χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι, μήτε δούλοις ἢ καὶ ἀπελευθέροις ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι, μήτε οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. *Conſtituit, ne quis eorum, quibus aqua & igni eſſet interdictum, in continenti degeret, aut inſula vlla, niſi quæ quinquaginta millia paſſuum a continente diſtaret, excepta Co, Rhodo, Sardinia & Lesbo: quas quidem cur exceperit, mihi non liquet. Porro præcepit, ne quis eorum alio traiiceret, aut plures naues, quam vnam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias; neue ſeruos aut libertos ſuper viginti ſecum haberet; neue plus quingentis millibus nummûm poſſideret.* Quam conſtitutionem ad deportatos pertinere palam eſt, qui inſulis concludi, & quaſi aqua & igni interdicti ciuitate arceri ſolebant. Cuius fugæ tædio ne res nouas molirentur, & bonis ſupra ſtatutam quantitatem exuendos, & a continente procul remouendos, nauium inſuper longarum ſeu onerariarum comparatione, magnoque famulitio interdicendos Auguſtus putauit. Fuit vero alia veteribus quoque vſitata interdictio, quæ non latam fugam, ſed loci duntaxat vnius vel prouinciæ interdictionem continebat: ad quam pertinentem conſtitutionem, ab VLPIANO *in l.* 7. §. 15. *D. de interdict.* ſine auctoris nomine relatam, auctori ſuo vindicabo. Ait ille, conſtitutum eſſe eum, cui patria interdictum eſt, etiam vrbe abſtinere debere. Id quod ab Imperatore *Claudio* conſtitutum SVETONIVS *in eius vita cap.* 22. ita declarat: *Sanxit, vt hi, quibus a magiſtratibus prouinciæ interdicerentur, vrbe quoque & Italia ſubmouerentur.* Et eſt hoc conſequens ei quod dicitur: Romam communem patriam eſſe. *l.* 33. *Roma. D. ad Municip.*

CAP. VII.

De Libellis, qui Principibus offerebantur.

QVotiens in *l.* 33. *diuus. D. de Re iudic.* incido, quæ diuum Hadrianum aditum per libellum a Tarentino narrat, totiens mi-

CAP. VII. Cum hoc capite conferri merentur, quæ attulit Auctor no-

hi vetus adeundorum, compellandorumque Principum mos in mentem venit, quos vel a præsentibus libello adiri solitos TACITVS *lib.* IV. *Annal. c.* 39. ostendit. *Componit*, ait, *ad Cæsarem codicillos. Moris quippe erat, quamquam præsentem, scripto adire.* TRANQVILLVS *in Aug cap.* 52. *Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellos porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem.* Idem in *Domitian. cap.* 17. *Stephanus professus coniurationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum & attento inguina suffodit.* MARTIALIS *lib.* VIII. *Epigram.* 82.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parua damus, &c.

Et alias *lib. eod. Epig.* 31.

Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab vrbe redi.

Sic libellum Principi datum in libris nostris sæpe legimus. *l.* 15. *libertus. D. de In ius voc. l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 29. *si quis libello. D. de Iniur. l.* 7. *relegatorum.* §. 18. *relegatum. D. de Interd. l.* 5. *quæsitum. D. ad SC. Turp. & C. tit. Quando libel. Princ. dat.* Libellis vero vel subscribebat ipse, vel subscribendi curam aliis mandabat: easque subscriptiones vim legis habuisse definit *l.* 1. *D. de Constit. Princ.* quarum extat exemplum in. l. 32. *non distinguemus.* §. 14. *cum quidem. D. de Arbitr.* Atque huic subscribendi muneri Iurisperiti plerumque ab Imperatoribus præficiebantur. Ita rescriptum refert *Tryphoninus* ab Imperatore, libellos agente PAPINIANO *l.* 12. *rescriptum. D. de Distract. pign.* & AVRELIVS ARCADIVS magister libellorum dicitur in inscriptione *l.* 1. *D. de Offic. præf. prætor.* Id quo illustrius appareat, libelli a Celso Iureconsulto subscripti, cuius fides ex Iani Parrhasii Catanæique scriptis constat, exemplum ex Antiquis Inscriptionibus subiiciam, vnde vetusta concipiendorum subscribendorumque libellorum formula intelligatur. Verba libelli ita habent: QVOM ANTE HOS DIES

ster tum in libro *de Verborum Signif.* voc. *libellus*: tum in Opere *de Form. Solenn. lib.* III. *pag.* 292. *seqq* & quæ de Principum Rescriptis ICti disputarunt.

VIM LEGIS HABVISSE] Proprie Rescripta quidem ius tantum faciebant respectu impetrantis: quia tamen Principes plerumque generalioribus rescribebant verbis: hinc illa ad similes applicari casus solebant. Sed de hac re latius disserunt ICti.

ITA HABENT] Exemplum huius libelli exstat etiam in auctoris Opere *de Form. Solenn. l. c.* & in *Gruteri* Opere *In-*

CON-

CONIVGEM ET FILIVM AMISERIM, ET OPPRESSVS NECESSITATE CORPORA EORVM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM, DONEC IS LOCVS QVEM EMERAM AEDIFICARETVR VIA FLAMINIA INTER MILIARIVM II. ET III. EVNTIBVS AB VRBE PARTE LAEVA, ROGO, DOMINE IMPERATOR, PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO, QVEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, VT QVANDO ME ESSE DESIERO, PARITER CVM EIS PONAR.

SEPVLCHRVM FIERI PLACET.

IVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE ET OPIMINIO COSS. Huic, quantum exiſtimo, muneri præpoſiti, a poſterioribus Principibus, Libellenſes appellantur.

CAP. VIII.

Vetus rerum Venalium proſcribendarum mos explicatur.

SI quis pignus proſcripſerit, venditurus tanquam a me acceperit, infamandi mei cauſa, cum eo iniuriarum agi ſecundum Seruii Sulpitii ſententiam poteſt: vt eſt ab VLPIANO ſcriptum in *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. 32. *item ſi quis pignus. D. de Iniur.* In quo ego veteris moris reliquias adgnoſco, quo venalia prædia proſcribebantur, id eſt, propoſito diuulgatoque libello venum ire, venumque exponi ſignificabantur: vt ego Plauti, Ciceroniſque teſtimoniis planum faciam. PLAVTVS *Trinummo*: *Act.* I. *ſc.* 2. *v.* 129.

ſcript. pag. 607. *n.* 1. non ſine aliqua tamen lectionis diſcrimine.

LIBELLENSES] Antiquiores elegantius dicebant *a libellis*: quod paſſim apud veteres ſcriptores (vid. *e. g.* TACITVS *Annal. lib.* XV. *cap.* 3. & *lib.* XVI. *cap.* 8.) & in Inſcriptionibus occurrit.

CAP. VIII. Quæ hoc capite afferuntur, quoad maximam partem reperiri quoque poſſunt in Auctoris Opere *de Form Solenn. lib.* VII. vbi tamen ſparſim exhibentur.

TRINVMMO:] Hodie locus in optimis editionibus ita diſtinctus legitur.

Quia

— — — — — *Quia ruri dum sum*
Ego vnos sex dies, me absente atque inconsultu meo
Ædes venales hisce inscribit litteris.

CICERO *lib.* III *Officior. c.* 16. *Claudius*, ait, *proscripsit insulam, vendidit. Emit P. Calpurnius Lanarius*, Et paulo post: *c.* 17. *Sic tu cum ædes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in eam vt aliquis incurrat imprudens.* Cuiusmodi tabula forte in specie a *Iuliano* proposita significatur, in *l.* 13. *Iulianus.* §. 6. *idem Iulianus. D. de Actio. emt.* Maxime vero in auctionibus libelli isti ac tabulæ figebantur, vt admonerentur, quos emendi cupiditas teneret, qua die, quibus legibus, conditionibusque prædia addicerentur, vt ex oratione CICERONIS *pro Quintio*, & aliquot *epistolarum* ad *Attic. libri*, præcipue *duodecimi*, locis perspicue demonstratur. PLINIVS *lib.* VII. *Epistol.* 11. *ad Fabat. Miraris quod Eros libertus meus hereditarios agros, quos ego iusseram proscribi, non expectata auctione addixit.* Quin & hoc idem in locandis ædibus seruatum deprehendi, vt pendente de ædibus tabula proscriberetur facienda locatio. TERENTIVS *Heautontimor. Act.* 1. *sc.* 1. *v.* 92.

Inscripsi illico ædes mercede.

CICERO *Accusat. in Verrem lib.* 1. *cap.* 54. *Iste vero non procrastinat: locare incipit non proscripta, neque edicta die.*

CAP. IX.

Quæ sint seruilia Verbera.

IN metallum damnatis libertatem adimi CALLISTRATVS in *l.* 12. *in metallum. D. de Iure fisc.* ex eo demonstrat, quod seruilibus

— — *Quia rure dum sum ego vnos sex dies,*
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Ædes venales hasce inscribit litteris.

IN AVCTIONIBVS] De hisce confer, præter Auctoris *lib. cit. pag.* 510. *seq. Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 17. §. 11.

HEAVTONTIMOR.] Locus hodie in optimis editionibus ita legitur:

— — — — — — *Inscripsi illico*
Ædes: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coëgi.

LIBERTATEM ADIMI] Nimirum, vt supra indicauit auctor, (*cap.* V. huius libri) nemo inuitus neque libertatem, neque ciuitatem, amittere poterat: si ergo quis per legem in seruitutem trahebatur, tunc fingebant Romani, illum se sponte in seruitutem addixisse: id

ver-

verberibus coërceantur. Seruilia verbera, flagra, flagella, lora, interpretor, quibus seruos rumpi solitos, praeter veteres comoedias, quarum huc testimonia, quod in promtu sint omnibus, aduocare nihil necesse est, etiam *l. 9. sed est quaestionis. §. pen. & l. 15. item apud Labeonem. §. 39. D. de Iniur.* aliaeque a me infra positae ostendunt, cum liberi fustibus duntaxat castigarentur. *l. 28. capitalium. §. 2. non omnes. D. de Poen. l. vlt. D. de Iniur.* Quod & SENECA in libello ioculari *de morte Claudii in fine* significat, eodem argumento euincens Claudium in seruitute fuisse, quod seruilibus verberibus vapulasset. *Apparuit*, ait, *subito C. Caesar, & petere illum in seruitutem coepit. Producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis, vapulantem.* Idemque in *lib. de Clementia* I. *c.* 14. equitem quemdam Romanum, quia filium suum flagellis ceciderat, pene a turba in foro graphiis confossum narrat, indignum facinus existimante populo, seruiliter a patre ingenuum filium tractari. Hinc animaduertere possumus, quibus ex caussis liberi fustibus castigantur, ex iisdem seruos flagellis caedi. *l. 10. in seruorum. D. de Poen. l. 6. leuia. D. de Accusatio. l. 4. Pedius. §. 1. D. de Incend. rui.* Leuiorem autem fuisse fustium quam flagellorum castigationem ex eo satis apparet, quod fustium admonitio in leui & modica castigatione ponitur, flagellorum contra verberatio in atroci coërcitione grauissimaque & seruili iniuria consistere censetur, vt ex coniunctione *l. 23. sed sicut. in fin. D. de Vsufruct.* cum *l. 15. item apud Labeonem. §. 36. si communem. D. de Iniur. & l. 7. praetor edixit. §. 2. praeterea. D. eo. tit.* cum *l. 10. sed si hac le-*

quod exemplis aliquot eleganter ostendit CICERO in Oratione *pro Caecina, cap.* 33. *seq.* Tales autem vocabantur *Serui poenae*: quales etiam in metallum condemnati. (vid. *L.* 25. *§.* 3. *D. de adquir. vel omitt. hered.*) Confer de hac seruitute poenae Cuiacium *Obseruatt. lib.* XV. *cap.* 22. *Gerb. Noodt Probabil. lib.* III. *cap.* 12. *Ill. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 16. *§.* 5.

FLAGRA] Flagra adeo seruis propria fuerunt, vt exinde quoque dicti sint *flagriones*, teste NONIO *lib.* I. *num.* 110. *pag.* 28. *ed. Paris.* 1614. 8*uo*. Confer etiam scriptores de seruis & de poenis Romanorum.

TRACTARI] Quamuis enim iure Romano patri summum in liberos vitae necisque ius, non minus quam in seruos, competeret: semper tamen male apud populum audiebant nimium crudeles patres. (Exempla vide apud LIVIVM *lib.* III. *cap.* 50. & *lib.* VII. *cap.* 4. & *lib.* VIII. *c.* 12.) Illis etiam ipsis, qui ita in seruilem modum a patribus castigati fuerant, ignominiosum hoc quodammodo fuit per totam vitam, vt exemplo Consulis *Isaurici* apud QVINTILIANVM *Instit. Orat. lib.* VI. *cap.* 4. apparet.

ge. §. *penult. D. de In ius voc.* illucescit. Denique fustium ictus, *admonitio*, vocabulo ipso pœnæ lenitatem significante, appellatur, *l.* 7. *veluti. D. de Pæn.* Vnde quod a VENVLEIO traditur, atrociter verberandi ius legatum proconsulis non habere: *l.* 11. *si quid erit. D. de Offic. proconſ.* id ad flagellorum coërcitionem proculdubio referendum est.

CAP. X.
De Ædilibus Municipalibus.

NOn Romæ tantum, sed & in municipiis Ædiles fuisse non abs re adnoto, quandoquidem eius rei ignoratione, quæ de municipalibus dicuntur, de vrbanis magistratibus dicta inscite accipi video. Nostrorum primum, dein aliorum auctorum locos ponam. In *l.* 30. *qui insulam.* §. 1. *D. Locat.* Ædilem in municipio balneas conduxisse narratur. Obscurius in *l.* 12. *eos. D de Decurionib.* huiusmodi Ædilis significatur, de quo tamen sensisse legem, vel titulus ipse, sub quo ea posita est, arguit. An & eodem modo in *l.* 17. *non tantum.* §. 4. *is qui ædilitate. D. de Excuſ. tut.* vox ista accipienda sit, controuersa est, & alterius loci quæstio. Nunc indubitatis testibus res conficienda est. CICERO *ad Brut. lib.* XIII. *epist.* 11. *Nam constituendi municipii causa hoc anno Ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæpium hominem mihi maxime necessarium. Is enim magistratus in nostro municipio, nec alius vllus creari solet.* SPARTIANVS *in Hadria. c.* 19. *Per Latina oppida Ædilis & Dictator fuit, & in patria sua Quinquennalis*

CAP. X. De Ædilibus Coloniarum & Municipiorum peculiarem, eumque eruditissimum Tractatum edidit *V. Excell. Euerh. Otto, Francof.* 1713. *8vo*, recusum *Vltrai.* 1732. *8vo.* in quo argumentum hocce non tantum abunde pertractasse, sed penitus exhausisse videtur. Cæterum Municipia & Colonias in reipublicæ constitutione imaginem quondam Romanæ reipublicæ præbuisse, præter *Ottonem* in libro laudato, *cap.* 2. notauit quoque *Ill. Heineccius* in *Syntagm. Antiqq. App.* ad *lib.* 1. *cap.* 5. §. 123. vbi nonnulla etiam de magistratibus municipalibus afferuntur. Addantur præterea laudatissimi *Ottonis Disſert. de Consulibus extra Romam*, *Vltrai.* 1721. *Heineccii Iunioris Florum Sparſio ad Edictum Ædil. cap.* 1. §. 4. aliique scriptores, qui generatim de magistratibus municipalibus scripserunt.

QVAESTIO] Ædiles omnes, non tantum Romæ, sed & in Coloniis & Municipiis, a tutelis excusatos fuisse, erudite, vt solet, probat laudatus *Otto* in libro paullo ante indicato *cap.* 13. §. 1. *seq.*

nalis. Per Latina oppida, veluti Vlubris, Arreti, Nouarræ, & aliis id genus. IVVENALIS *sat*. X. *v*. 101.

— — — — *Vasa minora*
Frangere pannosus vacuis Ædilis Vlubris.

PERSIVS *sat*. I. *v*. 145.

Fregerit heminas Arreti Ædilis iniquas.

SVETONIVS *in lib. de clar. Rhetorib. c*. 6. *Caius Albutius Silus Nouarriensis cum Ædilitatem in patria gereret*. Legitur & in Antiquis inscriptionibus persæpe hoc nomen, & quidem a Duumuiris nonnumquam separatum: vt diuersam a Duumuiratu honoris municipalis speciem Ædilitatem fuisse non male a quibusdam existimetur.

CAP. XI.

Quæ fuerint olim sollemnia Patrimoniorum Onera.

VEctigalia & patrimoniorum onera sollemnia sustinere omnes oportere traditur in *l*. 2. §. 1. *D. de Veteran*. Est & alias scriptum, ab his oneribus, quæ patrimoniis, vel possessionibus indicuntur, neque numero liberorum, neque vllo alio priuilegio quem excusari. *l*. 2. §. 4. *quæ patrimoniorum*. *l*. 10. *ab his*. *D. de Vac. muner*. Sollemnium quoque publicarum pensitationum fit mentio in *l*. 13. *si velut. C. de Compensatio*. *l*. 2. *C. pro Soc*. Proinde quibus olim oneribus, functionibusque patrimonia subiicerentur, videamus. Id autem animaduerti paucis verbis ab VLPIANO fere comprehensum in *l*. 27. *si pendentes*. §. 5. *si quid cloacarii*. *D. de V. susfr*. his verbis: *Si quid cloacarii nomine debeatur, vel si quid ob formam aquæductus, quæ per agrum transit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit. Sed & si quid ad collationem viæ, puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo & quod ob transitum exercitus*,

EXISTIMETVR] Sed distingue loca: in quibusdam enim Coloniis Municipiisque alii erant Ædiles, a Duumuiris diuersi, hisque inferiores: in aliis vero, minoribus maxime, ipsi Ædiles summi erant magistratus. Et tales forsan sunt *Ædiles* illi, quos *summos* vocat IVVENALIS *Sat*. III. *v*. 179. Confer *Ottonis* librum laudatum, *cap*. 11. §. 6. *seq*.

CAP. XI. Ad hoc caput conferendi sunt scriptores, qui de tributis & vectigalibus Romanorum ex instituto egerunt, quorum præcipuus *V. Cel*. (qui hodie in litteris hisce, quæ ab humanitate nomen habent, principatum tenere videtur) *Petrus Burmannus*: cuius liber præclarus *de vectigalibus populi Rom*. secunda vice auctior prodiit *Lugd. Bat*. 1734. 4to.

confertur ex fructibus: sed & si quid municipio: nam solent possessores certam partem fructuum municipio viliori pretio addicere: solent & fisco fusiones praestare: hac onera ad fructuarium pertinebunt. Hactenus Vlpianus, cuius nos breuitatem aliorum ope adiuuabimus. Cloacarii autem tributi, item eius quod ob formam aquaeductus penditur, etiam meminit in *l.* 39. *cum seruus.* §. 5. *heres. D. de Leg.* 1. De posteriore illud praeterea in libello *varior. auctor. de limitib. pag.* 275. *edit. Goesii* scriptum reperi. *Aquarum ductus per medias possessiones diriguntur, quae a possessoribus ipsis vice temporum repurgantur, propter quod & leuia tributa persoluunt.* Formas enim appellat fabricam meatus aquarum publicarum: in cuius tutelam ab his, quorum per agros aqua transibat, annuum tributum conferebatur. Vtitur hoc verbo FRONTINVS *lib.* II. *de Aquaeductib.* Vtuntur & Imperatores in *l.* 1. (in qua tamen pro, *formarum*, nonnulli male *forinarum* emendant) & *l.* 3. & *l.* 6. *C. de Aquaeductib. lib.* XI. Sed iam ad reliqua gradum faciamus. Collationem viae muniendae, sternendaeque causa ad onus praediorum pertinuisse declaratur ex *l.* 6. *in summa. C. de Pign. l.* 13. *Iulianus.* §. 6. *idem Iulianus. D. de Act. emt. l.* 14. *honor.* §. 2. *viarum. l. vlt.* §. 15. *si aliquis. D. de Mun & bono. l.* 11. *sunt munera. D. de Vacat. mun.* SICVLVS FLACCVS in *lib. de Conditio. agror. pag.* 9. *Quadam ergo*, ait, *viae aliquando fines transeunt possessionum, quarum tamen omnium non vna eademque est conditio. Nam sunt viae publicae regales, quae publice muniuntur, & auctorum nomina obtinent: nam & curatores accipiunt, & per redemtores muniuntur. In quarumdam tutelam a possessoribus per tempora summa certa exigitur. Vicinales autem viae de publicis, quae diuertuntur in agros, & saepe ad alteras publicas perueniunt, aliter muniuntur per pagos, id est per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, vt comperimus, vnicuique possessori per singulos agros certa spatia adsignantur, quae suis impensis tuentur.* Et hoc antiquis, ASCONIO *in* III. *Verrin.* interprete, *exigere viam* dicebatur. Quod vero ad tributum ob transitum exercitus, attinet, di-

Vide etiam *Ill. Heineccii Synt. Antiqq. App. ad lib.* 1. *cap.* 1. §. 58. *seqq.* & *cap.* 4. §. 114. *seqq.*

IN III. VERRIN.] siue in *Comment. ad Accusat. in Verrem. lib.* 1. *cap.* 59. *pag.* 108. vbi ita loquitur: *Exigere viam dicuntur magistratus, cum viciniam cogunt munire quam diligentissime sumtu facto.* Confer hic omnino *V. Excell. Euer. Ottonis* librum eruditissimum *de Tutela viarum, Part.* III. *cap.* 8. *pag.* 323. *seqq.*

ta-

lucidius id fit eiusdem SICVLI FLACCI loco ad finem libri, de quo proxime memini, qui ita habet: (*pag.25.*) *Nam & quotiens militi prætereunti, aliiue cui comitatui, annona publica præstanda est, si ligna aut stramenta deportanda, quærendum quæ ciuitates, quibus pagis huiusmodi munera præbere solitæ sint.* Est de hoc argumento *Nouella* IVSTINIANI *constitutio* cxxx. quæ inscribitur, *De transitu exercitus.* In oneribus porro patrimoniorum etiam hospitum susceptio ponenda est, *l.* 3. *de Munerib. patrim. lib.* x. *C. l.* 3. *§.* 14. *munus. l. vlt. in fi. D. de Munerib. & honorib. l.* 1. *C. de Episc. & cleric.* Plerumque enim militibus superuenientibus, vel publicis personis ea iter facientibus, hospitia in ciuitatibus præberi oportuit. *l.* 3. *§.* 13. *eos milites. D. de Munerib. & honorib. l.* 6 *illicitas. §* 5. *ne tenues. D. de Offic. præs.* toto *tit. de Metat. & epidemetic. lib.* XII. *C.* Ab hoc tamen hospitis recipiendi munere, militibus, veteranis, medicis, philosophis vacatio immunitasque Principum constitutionibus indulta est. *l. vlt. §. penult. & vlt. D. de Munerib. & honorib.* His adiunge, quæ fisco præstabantur functiones, stipendia, annonas, capitationes, de quibus alias vberius. Atque hæ sunt Tributiones, quæ possessionibus fiunt. *l. penult. D. de Veteran. l.* 6. *rescriptum. §. vlt. D. de Munerib. & honorib.* & Intributiones patrimonii in *l.* 22. *filii. §. vlt. D. ad munic.* quæ & Tributa prædiorum appellantur. *l.* 42. *inter. l.* 52. *epistola. §.* 2. *pactum. D. de Pact. l.* 7. *vsufructu legato. §.* 2. *quoniam igitur. D. de Vsufr. l.* 13. *neque. D. de Impens. in res dot. l.* 32. *sine herede. §.* 6. *Lucius. D. de Admin. tut. l.* 13. *idem Iulianus. D. de Act. emt.* & munera rei cohærentia. *l.* 11. *sunt. munera. D. de Vacat. muner.*

CAP. XII.

De Pupillarium Tabularum appellatione, & earum conscribendarum forma.

PVpillares tabulas in libris nostris secundas appellari nemini ignotum est: appellationis vero istius causa & ratio, nescio, an æque omnibus cognita sit, quam ego paucis patefaciam. Ante omnia autem secundas appellatas liquere volo ad differentiam paternarum, quæ & Principales & primæ tabulæ dicuntur. *l.* 1.

DICVNTVR] Quia pater prius sibi, deinde filio testamentum facere debebat, vt vel tyronibus notum. Hinc substitutio pupillaris tanquam pars & sequela paterni testamenti considerabatur.

§. 3. si primis. D. de Statulib. l. 1. D. Si cui plus quam per l. Falcid. l. 11. in ratione. §. 5. quod vulgo in fin. l. 79. in duplicibus. D. Ad legem Falcid. l. 2. in princ. D. Quemadmod. test. aper. l. 5. post legatum. §. 14. qui principale. D. de His quæ vt indign. Eam vero differentiam ex eo fluxisse suspicor, quod pupillaris substitutio in inferiore parte testamenti, & in ima cera fieri soleret. Quæ pars etiam separatim plerumque propria cera proprioque lino consignabatur, cum eo, vt & priore parte testamenti, a parentibus caueretur, ne inferiores tabulæ viuo filio & adhuc impubere aperirentur, quemadmodum IVSTINIANVS sentit in *§. 3. sin autem. Instit. de Pupill. substit.* Sed ipsa CAII verba, quæ hoc diserte continent, melius erit ex *lib.* II. *Institut. tit.* IV. §. 2. huc transferre. Sic autem habent: *Sed pupillaris substitutio ita secreta esse debet, vt adnotitiam substituti peruenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema pagina testamenti fieri debet, vt pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata permaneat, & prior pars testamenti, in qua heres scriptus est, reseretur.* Hæc ille: secundum quæ in specie *l. vlt. D. ad Trebellian.* Iulius Fœbus testamento sibi facto, Polycrati filio, si intra pubertatem decessisset, secundas tabulas fecisse refertur, matrique eius commendasse aperiendas, si impubes obiisset. Quod etiam ab eo, qui attente leget, obseruari potest in *l. 11. si mater. in prin. D. de Except. rei iud.* Quamquam autem superscriptum a patre non fuisset, ne pupillares tabulæ aperirentur, si tamen seorsim signatæ relictæ essent, prætor aperiri eas, nisi causa cognita, non patiebatur. *l. 8. pupillares. D. Quemadmod. test. aper.* Nec tamen semper seorsim a paternis pupillares tabulæ, sed & coniunctim plerumque signabantur. Quinimmo signatas esse patris tabulas sufficiebat, licet filii resignatæ essent. *l. 20. patris. D. de Vulg. & pup. l. 9. vt bonorum. D. de Bonor. possess. secun. tab.* Finem faciam, si prius illud adscripsero, ex his explicatu facile relinqui, quod in *l. 14. nam quod. §. 3. si quis compulsus. D. ad Trebellian.* scribitur, ex testamento, quod secundas tabulas habebat, aditam hereditatem.

SOLERET] Qui hæc & sequentia melius intelligere cupit, is adire debet scriptores, qui obsignationem testamentorum ex instituto illustrarunt, quos summatim recensui in *Tract.* mea *de Testamentif. Cap.* III. §. 34. *p.* 143. & §. 43. *not.* (5) *p.* 165. *seq.* Quibus adde *Ill. Cancellarii de* LVDWIG *Vitam Iustiniani. p.* 236. *seq.*

CAP.

CAP. XIII.

De Veterum habitationibus in Hortis.

HAbentur in *l.* 5. *lex Cornelia.* §. 3. *D. de Iniur.* hæc verba: *Quid si quis in villa habitet, vel in hortis?* Quibus admonemur veteres in hortis habitationes habuisse. Quod & *l. penult.* §. 1. *D. de Donat. int. vir.* ostendit. & TACITVS *lib.* XVI. *Annal. c.* 34. *Tum ad Thraseam*, ait, *in hortis agentem, quæstor Consulis missus, vesperascente iam die.* SVETONIVS *in Claud. cap.* V. *Tunc demum abiecta spe dignitatis ad otium concessit, modo in hortis & suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens.* ASCONIVS *in Argum. Milonia. pag.* 187. de Pompeio: *Plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat.* Qua de causa mirum nemini videbitur, quod de penu in hortis condita legitur in *l.* 4. *nam quod.* §. 5. *D. de Penu leg.* In qua *l.* hoc præterea notandum censeo, quod ait: *Sed & si in hortis sit vrbi iunctis.* Nam extra vrbem Romanorum horti erant, vt CICERO *lib.* XII. *epistol. ad Attic.* 19. *seqq.* indicat, cum de horti emtione idcirco se cogitare scribit, vt ne Romæ in turba sit, & ne ab vrbe absit. Etenim qui in hortis erant, abesse, cum in continentibus vrbis essent, non videbantur, secundum definitionem *l.* 199. *absentem. D. de Verb. signif.* Immo præsentes eos haberi diserte traditur in *l.* 5. *præsens. D. de Procurat.* Cæterum quæ in hortis ponebantur ædificia, voluptuaria erant, & amœnitatis gratia extructa, in quæ sui colligendi causa Romani secedebant. Atque has amœnas hortorum habitationes diætas appellabant, vt in *d. l. penult.* §. 1. *D. de donat. inter vir.* & *v.x. l.* 43. *senatus.* §. 1. *D. de leg. lib.* 1. *l.* 13. *si cuius rei.* §. *vlt. D. de Vsufruct. l.* 41. *vxorem.* §. 1. *D. de leg. lib.* III. & apud PLINIVM *lib.* II. *epist.* 17. *ad Gallum*, quæ & vsitata Græcis commutatione Zetæ dicuntur a LAMPRIDIO *in Heliogabalo, cap.* 30. *seq. duobus locis.*

MANEBAT] Lubet hisce ab auctore adductis exemplis adhuc vnum alterumue addere. De Imperatore scilicet Aureliano FL. VOPISCVS in eius vita, *cap.* 49. narrat: *Displicebat ei, quum esset Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Sallustii, vel in Domitiæ vineæ.* Item de Imp. Vespasiano tradit XIPHILINVS *lib.* LXVI. *pag.* 750. eum raro in Palatio, sed maximam temporis partem in hortis Sallustianis habitasse.

CAP.

CAP. XIV.

De Magistratuum, Proconsulum, Præsidumque insignibus.

CÆcum vtrisque luminibus orbatum idcirco postulare non posse VLPIANO placet, quod insignia magistratus videre & reuereri non possit. *l.* 1. §. 5. *casum. D. de Postuland.* Vbi insignia magistratus, quæ Græci ἐπίσημα τῆς ἀρχῆς vocant, eodem sensu dixit, quæ & Consularia insignia in *l.* 2. *pr. D. de His qui not. infa* & Proconsularia insignia in *l.* 1. *D. de Offic. proconsul.* & insignia regum apud LIVIVM *lib.* II. *c.* I. & VALERIVM MAX. *lib.* IV. *cap.* I. *ex.* I. dicuntur. Insignia hæc, breuiter a PRVDENTIO *in Romano Mart. v.* 142. his versibus collecta sunt:

— — — — Nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sellæ, prætextæ, togæ,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia
Quibus tumetis?

Et a SENECA *lib.* I. *de Benefic. c.* 5. *Quid habet corona pretiosum? quid prætexta? quid fasces? quid tribunal & currus? Nihil horum honor est, sed honoris insigne.* Quæ omnia nobis singillatim explicanda sunt, initio a fascibus sumto, qui magistratibus præferebantur: consuli quidem duodecim, prætori vero sex. Vnde OVIDIVS *in Fragm. ad Piso. v.* 69. Consulatum ab eo gestum demonstrare volens, hac periphrasi vsus est:

Cum tua bissenos numeraret purpura fasces.

Qua & MARTIALIS compluries vtitur. veluti *lib.* VII. *Epig.* 62. *v.* 9.

Postquam bissenis ingentem fascibus annum
Rexerat, adserto qui sacer orbe fuit.

CAP. XIV. Quæ hoc & sequenti cap. afferuntur, latius explicant scriptores, qui de magistratibus eorumque insignibus ex instituto commentati sunt.

PRAETORI VERO SEX] Sed de numero fascium, quibus Prætores vtebantur, res adhuc dubia esse videtur. In prouinciis quidem Prætores & Proprætores sex fascibus vsos fuisse certum est: ast in vrbe Praetores duos tantum cum fascibus lictores secum habuisse plerique eruditi statuunt, ob testimonia PLAVTI in *Epidic. Act.* I. *sc.* I. *v.* 26. & CICERONIS in *Orat.* II. *de lege agrar. cap.* 34. nec non ob plebiscitum illud Plætorium apud CENSORINVM *de die natali, cap.* 24. Cui tamen sententiæ contradicere videtur VALERIVS MAX. loco infra ab auctore adducto. Ego nihil adhuc definire audeo: conferri interim possunt Interpretes ad loca veterum adducta, & *Iust. Lipsius Epistoll. Select. Cent.* I. *ep.* 5.

Et *lib.* VIII. *Epig.* 66. de Conſulatu Silii:

Auguſto pia thura, victimasque
Pro noſtro date Silio Camœnæ.
Biſſenos iubet en redire faſces.

Et rurſus *lib.* IX. *Epig.* 43. *v.* 6.

Biſſenos cito, me rogante, faſces
Det Stellæ bonus, annuatque Cæſar.

De prætoriis faſcibus vnicum VALERII MAXIMI teſtimonium ſufficiet, qui *lib.* I. *cap.* I. *ex.* 9. ita ſcribit: *qui prætor a patre ſuo collegii Saliorum magiſtro iuſſus, ſex lictoribus præcedentibus, arma ancilia tulit.* Totidem autem & Proconſulibus in prouinciam euntibus faſces datos *lex* 14. *Proconſules. D. de Offic. Proconſul.* tradit. At præſides, qui nullodum conſulatu geſto in prouincias a Cæſaribus mittebantur, quinque duntaxat faſcibus vſos DION. *lib.* LIII. *pag.* 505. his verbis docet. ῥαβδούχοις δὲ δὴ πέντε πάντες ὁμοίως οἱ στρατηγοὶ χρῶνται, καὶ ὅσοι γε οὐκ ἐκ τῶν ὑπατευκότων εἰσὶ, καὶ ὀνομάζονται ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ ἀριθμοῦ τούτου. τά τε τῆς ἡγεμονείας κοσμήματα, ὅταν ἐς τὴν προτεταγμένην σφίσι χώραν ἐσέλθωσιν, ἑκάτεροι ὁμοίως ἀντιλαμβάνουσι καὶ ἐπειδὰν διάρξωσιν, εὐθὺς κατατίθενται. *Omnes vero Proprætores, & qui non ſunt Proconſules, quinque vtuntur lictoribus, nomenque ab hoc numero habent. Vtrique autem imperii inſignia ſtatim, ac in prouinciam ſuam venerint, accipiunt, perfunctique munere, ſtatim deponunt.* Atque ita Cappadociæ equitem Romanum cum quinque lictoribus a Tiberio præfectum idem auctor *lib.* LVII. *pag.* 614. narrat. Proconſules certe ſtatim atque vrbem egreſſi eſſent, inſignia ſua accepiſſe, nec prius depoſuiſſe, quam reuerſi portam Romæ ingreſſi eſſent, ex noſtris Iureconſultis conſtat. *l.* I. & *l. vlt. D. de Off. Procons.* Cæterum faſcium origo a Romulo repetenda eſt, quem ſibi XII. lictores inſtituiſſe LIVIVS *lib.* I. *c.* 8. & DIONYSIVS HALICARN. *lib.* II. *pag.* 99. & *lib.* III. *pag.* 196. conſentiunt, qui cum virgarum faſcibus ſecuri coniunctis anteirent: quos vna cum cæteris regum inſignibus populus ad Coss. *Tarquinio* exacto tranſtulit, id modo cauens, ne duplicarentur. Inuidiæ deinde ſummouendæ cauſa, quam terror hic imperii ſpeciesque regiæ dominationis concitabat, disiunxiſſe a faſcibus ſecures *Poplicola* fertur, primusque nudatos ſecuribus faſces in concione populo ſubmiſiſſe, vt a PLVTARCHO *in eius vita, pag.* 102. DIONYSIO HALICARNASS. *lib.*

V. *pag.* 292. QVINTILIANO *lib.* III. *cap.* VII. (*al.* IX.) VALERIO *lib.* IV. *cap.* I. *ex.* I. & ab *auctore libelli de Vir. illustrib. cap.* 15. proditum est. Quem morem posteri quoque sancte seruarunt, adeo vt in vrbe, solis virgis, quas ex *betula*, Gallica arbore, plerumque sumtas PLINIVS *lib.* XVI. auctor est, Consulares fasces, aliter atque Dictatorii, constarent: aptarentur vero alligarenturque tum demum secures, cum extra vrbem, re ita exigente, cum imperio Coss. proficiscebantur. Ex his fascibus virgas ocyus iubente magistratu lictores expediisse historias legentibus tam notum est, vt exempla congerere putidae sit diligentiae. Enimuero non apud vtrumque ex Coss. simul fasces erant, sed apud alterum tantum, idque alternis: primum quidem apud maiorem natu ex instituto Publicolae, vel ex lege Iulia de maritandis ordinibus apud eum, qui plures liberos suscepisset, vt est AGELLIO relatum *lib.* II. *cap.* XV. Quo autem mense Consul fasces non habebat, antiquo more eum accensus praeibat, lictores pone sequebantur: quem morem renouasse in Consulatu suo Iulium Caesarem SVETONIVS *in eius vita cap.* XX. commemorat. Extremum illud erit, vt omnia, quae de fascibus sciri interest, absoluam, foribus Consulum eos suspendi solitos, iisque inde sumtis lictores, qui domo egredienti Consuli apparebant, obuiam plebem summouisse, & fores, si quo ingrediendum Consuli esset, pulsasse. Prius illud ex *auctore libelli de Viris illust. cap.* 20. posterius hoc ex LIVIO *lib.* VI. *c.* 34. & PLINIO *lib.* VII. *cap.* XXX. & SOLINO *cap.* VI. plenius aliquando Deo faciente cum aliis, quae hic consulto omitto, demonstrabo. Ad reliqua insignia magistratuum gradum vertamus.

DICTATORII] Nam Dictatoribus viginti quatuor lictores, cum fascibus & securibus, in vrbe etiam praecedebant. (vid. DIONYSIVS HAL. *lib.* V. *pag.* 338. & *lib.* X. *pag.* 630.

IDQVE ALTERNIS] Mensibus scilicet plerumque. (vid. DIONYS. HAL. *lib.* V. *pag.* 278. & SVETONIVS in vita *Iul. Caes. cap.* 20.) Interdum vero alternis diebus fasces permutabantur. Vid. POLYBIVS *lib.* III. *cap.* 110. LIVIVS *lib.* XXII. *cap.* 41. & 45. & Fragmentum ex actis diurnis apud *Pighium* in *Annal.* ad A. V. C. 585. *Tom.* II. *pag.* 376. & apud *Dodwellum* in *Praelect. Camden. App. pag.* 665. vbi huius quoque annotationes hac de re *pag.* 668. seq. legi possunt.

LEGE IVLIA] *Cap.* VII. Confer *Ill. Heineccii Comment.* ad istam legem *Iuliam & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 194. *seqq.* vbi multa quoque haud proletaria annotata inuenies, quae ad illustrationes huius capitis pertinent.

CAP.

CAP. XV.

De Sellis & Prætextis Magistratuum.

IN insignibus magistratuum a PRVDENTIO sellæ numerantur: de quibus vt tractemus, ille quoque VLPIANI, qui nos in hunc sermonem adduxit, locus monet, in quo sellæ prætoris fit mentio. *l.* 1. §. 5. *casum. D. de Postulan.* Sedebant vero & Coss. & prætores & Ædiles prætextati in sellis curulibus, quemadmodum LIVIVS *initio lib.* VII. docet his verbis: *Non patientibus tacitum Tribunis pleb. quod pro Consule vno plebeio, tres patricios magistratus*, (prætorem & Ædiles duos intelligit) *curulibus sellis prætextatos; tamquam Coss. sedentes, nobilitas sibi sumsisset.* Ac Consularium quidem sellarum SVETONIVS *in Claudio cap.* XXIII. meminit: sed & CICERO *lib.* VII. *Epist.* 30. *ad Curium*, comitiis quæstoriis institutis sellam Q. Maximi Consulis in campo positam narrat. In sella vero curuli etiam prætorem ius dixisse, præter *d. l.* 1. §. 5. *casum. D. de postul.* VARRONIS *verba* ex *lib.* II. *de vita populi. Rom. a Nonio lib.* XII. *n.* 4. relata docent. *Ælius Pætus, cum esset prætor vrbanus, & sedens in sella curuli ius diceret populo, Picus Martius aduolauit, atque in capite eius adsedit.* QVINTILIANVS *lib.* VI. *cap.* 4. *Marcus Cælius prætor, cum sellam eius curulem Consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam.* VALERIVS *lib.* III. *c.* V. ex. I. *Quamquam quid interfuit, vtrum repulsam, an sic adeptam Præturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet.* Ædiles quoque curules eadem sella insignitos & nomen ipsum, & Gnæi Flauii historia, a LIVIO *lib.* IX. *c. vlt.* & *a* GELLIO *lib.* VI. *cap.* 9. relata satis docet. Vnde autem sellæ curulis nomen manauerit, idem GELLIVS *lib.* III. *cap.* 18. declarat, ex Basso narrans, veterum ætate, Senatores, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent: vnde Curulis appellaretur. Quod & ISIDORVS *lib.* XX. *Etymolog. cap.* 11. paulo planius atque pinguius exposuit. Venio nunc ad prætex-

EXPOSVIT] Verba eius sunt: *Sellæ curules erant, in quibus magistratus sedentes iura reddebant. Dictæ autem curules, quia apud veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru forum prouehebantur, sellæ autem, quæ post eos vehebantur, quibus sedentes dicere iura solebant, a curru curules sellæ sunt nominatæ.*

tam, qua prætores olim ornatos fuiſſe SVETONIVS *in Iulio cap.* 16. indicat, cum de prætura Cæſaris agens ſic ait: *Acnihilominus permanere in magiſtratu ac ius dicere auſus, vt comperit paratos, qui vi ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus, abiectaque prætexta, domum clam refugit.* Fit & de ædilicia prætexta ſermo a PLINIO *lib.* IX. *cap.* 39. & a CICERONE *in Orat. contra Vatin.*

CAP. XVI.
De Senatoriis Ornamentis.

Specioſas perſonas accipere debemus clariſſimas perſonas vtriuſque ſexus: item eorum, qui ornamentis ſenatoriis vtuntur. l. 100. *ſpecioſas. D. de Verbor. ſignific.* Duo locus hic, vt explicemus, deſiderat: vnum, quæ olim clariſſimæ perſonæ appellarentur: alterum, qualia Senatoria ornamenta eſſent. Quorum vtrumque non ad eius loci modo, ſed & aliorum multorum intelligentiam ſciri neceſſe eſt. Clariſſimorum nomine Senatores olim ornabantur, vt oſtendit *l.* 5. *curator. D. de Cur. fur.* in qua ita eſt: *Curator Senatuſconſulto conſtituitur, cum clara perſona, veluti Senatoris, vel vxoris eius, in ea cauſa ſit, vt eius bona venire debeant.* Feminæ enim, matrimonio cum Senatore contracto, clariſſimarum nomen ſortiebantur. *l.* 8. *feminæ. D. de Senatorib. l.* 10. *cum te. C. de Nupt.* quomodo clariſſimam factam per maritum in *l.* 22. *filii.* §. 1. *D. ad Municipal.* interpretamur eam, quæ ſenatori nupſerit. Sic & LAMPRIDIVS *in Heliogab. c.* 4. *Solusque omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier quaſi clariſſima loco viri ſenatum ingreſſa ſit.* Nec vero aliis, quam qui ex ſenatorio ordine, vel ſenatoria dignitate donati eſſent, clariſſimi titulum primum collatum puto. Atque ita claram dignitatem in *l.* 23. *non eſt veriſimile. D Quod met. cauſ.* & clariſſimos viros accipi oportere cenſeo in *l.* 18. *deferre.* §. 1. *D de*

CONTRA VATIN.] In tota hac Oratione nihil reperi, quod huc ſpectaret. Si quis tamen in re nota ex CICERONIS ſcriptis teſtimonium adhuc deſiderat, is adeat eius *Accuſat. in Verrem, lib.* V. *cap.* 14. An & quatenus inferiores Ædilibus magiſtratus prætextæ gerendæ ius habuerint, altioris indaginis quæſtio eſt, quam aliis excutiendam relinquo. De prætexta magiſtratuum municipalium interim legi poteſt v. *Excell. Euerh. Ottonis* liber *de Ædilibus coloniarum & municipiorum, cap.* XI. §. 5. *pag.* 319. *ſeqq.*

CAP. XVI. Ad hoc caput conferri poſſunt ſcriptores, qui ex inſtituto tum de Senatu Romano, tum etiam de re veſtiaria ſcripſerunt.

Iure

Iure fisci. & in *l.* 52. *sed & si suscepit.* §. 2. *sed & si proponas. D. de Iudic. l.* 16. *cum tabulis.* §. 1. *D. de His, quæ vt indig. l.* 12. *custodias. D. de Public. iud. l.* 35. *patronus. D. de Legat.* III. LAMPRIDIVS *in Alex. Seu. c.* 21. *Præfectis prætorio suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur.* Et erat certe Senatoria dignitas omnium, quæ tunc temporis erant, clarissima, vel ipsius *Hadriani* testimonio, quem SPARTIANVS *in eius vita, c.* 8. scribit senatus fastigium in tantum extulisse, vt cum Tatianum ex præfecto prætorii ornamentis consularibus præditum faceret senatorem, nihil se amplius aut maius habere, quod in eum conferret, testatus sit. Postea præsidibus omnibus prouinciarum, & magistris census, & principibus agentium in rebus, & aliis multis clarissimorum titulus tributus, vilescere sensim cœpit, vt videre est in recentiorum Impp. constitutionibus. Nunc ad senatoria ornamenta transeamus, in quibus latus clauus præcipue ponitur, quo ab Equestri ordine senatorium distinctum PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 1. & LAMPRIDIVS *in Alexand. c.* 27. docent. Hinc illud VLPIANI *in Instit. tit.* VII. §. 1. *Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri in hoc donare viro suo, vt is ab Imperatore lato clauo, vel equo publico honoretur.* Quibus verbis vtriusque ordinis discrimen notat. Id enim ipsum ita CAIVS effert in *l.* 42. *nuper. D. de Donat. inter vir. Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa, vt ecce si vxor viro laticlauii petendi gratia donet, vel vt equestris ordinis fiat.* Hinc etiam AVGVSTO sumenti virilem togam, cum tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidisset, ominis loco quosdam interpretatos SVETONIVS *in eius vita c.* 94. tradit, futurum, vt is ordo, cuius id insigne esset, ei quandoque subiiceretur. Idem & *in Claud. cap.* 24. sic ait: *Latum clauum, quamuis ab initio adfirmasset, non lecturum se senatorem nisi ciuis Romæ. esset, libertino tamen tribuit.* Habebat vero clauus senatorius latiorem purpuram, vt ex PLINII *capite* iam a me citato, & *lib.* IX. *c.* 36. colligimus: de cuius forma & aliquid ex QVINTILIANO *lib.* XI. *cap. vlt.* elici potest. Erat præterea in cal-

* ELICI POTEST] Tunicam laticlauiam & angusticlauiam optime descripsisse videtur *Rubenius*, cuius hac de re sententiam defendit & confirmauit *Ioh. Georg. Græuius* in *Præfat.* ad *Tom.* VI. *Thesauri Antiqq. Rom.* quæ etiam legi potest inter eius *Præfatt.* & *Epistoll.* a *B. Fabricio* nostro editas, *pag.* 350. *seqq.*

ceamentis magna inter senatorium & equestrem ordinem differentia. Patricii enim calcei, quos veteres, *Mulleos*, FESTO *b.v. teste*, appellabant, lunae impressam effigiem habebant. Vnde MARTIALIS, IVVENALIS, STATIVS PAPINIVS lunatam pellem, & patriciam lunam dixere. Hinc CICERO XIII. *in Anton. orat. c.* 13. de quodam in senatum repente adlecto: *Est etiam Asinius quidam senator voluntarius lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Caesaris mortem. Mutauit calceos: pater conscriptus repente factus est.* Huius vero lunati calceamenti variae a PLVTARCHO *in Problemat.* causae adferuntur: probabilior reliquis illa est, quam ISIDORVS *lib.* XIX. *Etymolog. cap. vlt.* & ZONARAS *tomo* II. *lib.* VII. *pag.* 328. sequuntur, vt dicamus, a Romulo institutos patriciorum calceos fuisse, adsuta lunae figura, quae in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quia initio centum senatores erant. Atque haec insignia vestium quibusdam senatu a se motis *Augustum* conseruasse TRANQVILLVS *in eius vita c.* 35. refert: quibusdam etiam, priusquam in senatum lecti essent,

DIFFERENTIA] Triplicem obseruaui apud Romanos differentiam ratione calceamentorum virilium: 1) inter Senatores & reliquos ciues, quae in altitudine praecipue constitisse videtur. Vid. CICERO *Philipp.* XIII. *cap.* 13. HORATIVS *Serm. lib.* I. *Sat.* 6. *v.* 27. vbi ACRON ita commentatur: *Circumdedit medium crus ideo dicit, quia altiores sunt calcei senatorum. Soliast.* IVVENALIS ad *Sat.* I. *v.* III. 2) Inter patricios & plebeios, quae in lunula patriciorum calceis adsuta praecipue consistebat: vt testantur Soliastes IVVENALIS ad *Sat.* VII. *v.* 192. & ISIDORVS *Origg. lib.* XIX. cap. 34. his verbis: *Patricios calceos Romulus reperit, quatuor corrigiarum, adsutaque luna. Iis soli Patricii vtebantur. Luna autem in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio patricii senatores centum fierent.* 3) Inter illos, qui magistratum curulem gesserunt, & reliquos, quae in colore constitisse videtur. Vid. FESTVS *voc. mulleos*, ibique interpretes: necnon ISIDORVS, qui *loco cit.* ita loquitur: *Mullei similes sunt coturnorum solo alto: superiori autem parte cum osseis, vel aereis malleolis, ad quas lora deligabantur. Dicti autem sunt a colore rubro, qualis est mulli piscis.* Pisces autem hos a colore mulleorum calceamentorum nomen accepisse, putat FENESTELLA apud *Plinium Hist. Nat. lib.* IX. *cap.* 17. Haec ad confusionem euitandam adscribere tantum volui: plura vero dabunt illi, qui de calceis Romanorum ex instituto scripserunt.

DIXERE] Loca huc spectantia exstant apud MARTIALEM *lib.* I. *Epig.* 50. *v.* 31. & *lib.* II. *Epig.* 29. *v.* 7. apud IVVENALEM *Sat.* VII. *v.* 192. apud STATIVM denique *Syluar. lib.* V. *Sylu.* I. *v.* 28.

IN PROBLEMAT.] *Num.* 75. vel secundum alios 76. vbi conferri potest *Boxhornii Comment. pag.* 116. *seqq.* in quo de forma harum lunularum accurate disputatur.

REFERT] Item DIO CASSIVS *lib.* LIV. *pag.* 530.

essent, a *Claudio* tributa, DION *lib.* LX. *pag.* 680. auctor est, præfectisque prætorio ab Imperatoribus plerumque data, LAMPRIDIVS *in Alex. Seu. cap.* 21. cum aliis testatur.

CAP. XVII.
De præmiis Delatorum, eorumque coërcitione.

INter ceteras quæ ab accusando repellunt causas, quosdam propter turpem quæstum summoueri traditur: quales sunt, qui duo iudicia aduersus duos subscripta habent. *l.* 8. *qui accusare. D. de Accusat.* Quæret hic aliquis, in quo ille turpis quæstus versetur: quod facillime expediet, qui didicerit, accusatoribus olim ac delatoribus præmia constituta, quorum dulcedine ad accusandum pelliciebantur. Quod & *l.* 1. *D. de Jure fisc.* ostendit, & QVINTILIANVS *lib. vlt. cap.* 7, cum ad deferendos reos præmio duci proximum latrocinio esse ait. TACITVS *lib.* VI *Annal. c.* 47. *Lælius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam vxorem, maiestatis postulauerat, qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur, Iunius Otho Trib. pleb. intercessit.* Idemque auctor *lib.* IV. *Annal. c.* 30. de præmiis accusatorum abolendis, si maiestatis postulatus ante iudicium perfectum se ipse vita priuasset, in Senatu actum scribit. Præmia vero hæc partim legibus ipsis, ex quibus crimen intendebatur, definita erant; partim æstimatione arbitrioque eius, qui de crimine cognouisset, constituebantur. Veluti lege Cornelia, ad SC. Silanianum pertinente, de præmio accusatorum, qui seruos ante quæstionem de familia habitam fuga ela-

CAP. XVII. Varia, quæ ad huius capitis illustrationem pertinent, legi possunt in *Ill. Heineccii Comment.* ad L. *Iul. & Pap. Popp. lib.* III. *cap.* 10. quæ hic omnino conferri merentur.

PELLICIEBANTVR] Primus hoc fecisse videtur vltimus Romanorum Rex, Tarquinius Superbus, de quo DIONYSIVS HAL. *lib.* IV. *pag.* 245. narrat, eum accusatoribus partem quandam ex bonis damnatorum attribuisse. Tempore liberæ reipublicæ iuuenes nobiles sæpe sibi per accusationem potentis cuiusdam viri aditum ad honores parabant, vt ex innumeris veterum locis probari potest. Fuerunt & alia accusatorum præmia, quæ nunc excutere non est animus. Singulare fuit inuentum *Cn. Pompeii Magni*, qui A. V. C. 701. solus Consul constituit, vt is, qui duos reos, vel eadem de causa, vel minori etiam, quam cuius ipse damnatus erat, peregisset, aut vnum maioris criminis conuicisset, delicti sui veniam consequeretur. Vid. DIO CASSIVS *lib.* XL. *pag.* 145.

psos

psos conquisissent & renuntiassent, hoc cauebatur, vt in singulos seruos, quos conuicissent, quinque aureos ex bonis occisi; aut si inde redigi ea quantitas non posset, ex publico acciperent. *l.* 25. *lege Cornelia. D. de Senat. Silan.* In eo quoque Senatusconsulto, quod a FRONTINO *lib.* II. *de Aquaeductib.* refertur, praemium accusatori constituitur dimidia pars eius, quo condemnabitur is, qui in Senatusconsultum commiserit. Lege etiam repetundarum quartam bonorum rei, pro praemio accusatoribus concessam, TACITVS *lib.* IV. *Annal. c.* 20. indicat. Sed & Papiae legis delatorum praemia ad quartas a Nerone redacta SVETONIVS *in eius vita cap.* X. auctor est. Vnde vulgare praemium interpretandum aliquando suspicatus sum, in *l.* 13. *edicto.* §. 5. *D. de Iure fisc.* ad differentiam eius, quod edicto Traiani his, qui se deferunt, tribuitur, quod vberius est, & dimidiam bonorum continet. At in eo Senatusconsulto, quod in eos factum est, qui ἐπιγράμματα, aliudue quid sine scripto in notam aliquorum produxerint, pro modo substantiae accusatae personae, aestimatione iudicis, ei qui indicauerit, pretium constitui iubetur. *l.* 5. *lex. Cornelia. in fin. D. de Iniur.* Secundum haec accusatoribus Eprio & Cossutiano quinquagies H.S. singulis, Ostorio, duodecies decreta apud TACITVM *lib.* XVI. *Annal. c.* 30. legimus. Hoc vero quaestu cum multi turpiter vitam tolerarent, temporumque licentia ad calumnias abuterentur, exilio, grauioribusque aliis poenis id genus hominum a Tito, Domitiano, Traiano, adfectum esse, historiarum monumentis proditum est. TRANQVILLVS *in Tito cap.* 8. *Inter aduersa temporum, delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos adsidue in foro flagellis ac fustibus caesos, ac nouissime traductos per amphitheatri arenam partim subiici in seruos ac venire imperauit, partim in asperrimas insularum auehi.* XIPHILINVS *in Tito. lib.* LXVI. *pag.* 754. τούς τε μηνυτὰς ἐξήλασεν ἐκ τῆς πόλεως. *Delatores quoque ex vrbe expulit.* Domitianum quoque fiscales calumnias magna calumniantium poena repressisse TRANQVILLVS *in eius vita c.* 9. refert, & hanc eius vocem celebratam: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Quo nomine ei MARTIALIS his versibus gratulatur *libr. Spectacul. Epigr.* 4.

Turba grauis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes:

Et

Et delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe.
Impensis vtinam principis annumeret.

Eandem pœnam delatoribus Traianum inflixisse PLINIVS *in Panegyrico c.* 34 docet, cuius verba ipsa, quia elegantia sunt, hic posui: *Vidimus*, ait, *delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla iam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum auaritia. Aduertisti oculos, atque vt ante castris, ita postea pacem foro reddidisti, excidisti intestinum malum.* & mox: *Congesti sunt in nauigia raptim conquisita, vt tempestatibus dediti, abirent, fugerentque vastatas delationibus terras.*

CAP. XVIII.

De Procuratoribus Cæsaris.

PRocurator Cæsaris inter fiscum duntaxat & priuatos ius dicebat: in lite priuatorum idoneus competensque iudex non erat. *l.* 1. *C. de Iurisdict. om. iud.* Ideoque a procuratore Cæsaris, qui partibus præsidis non fungatur, inutiliter in causa priuatorum iudicem dari a PAPINIANO *in l.* 23. *ex consensu.* §. 1. *D. de Appellat.* responsum est, & a GORDIANO rescriptum in *l.* 1. *C. de Pedan. iudicib.* Nam cum vice præsidis fungebatur, quod vsu venisse interdum, præter superiores locos, etiam *l.* 2. *C. de Pœn. l.* 3. *C. Vbi causæ fiscal. l.* 4. *C. ad Leg. Fab. de Plagiar.* comprobant, tum proculdubio de omnibus causis, quæ in prouincia incidissent, cognoscebat. Verum hunc ingressi de procuratoribus Cæsarum dicendi campum, reliqua, quæ ad eos pertinent, exequamur. Primum autem ponendum est, ex Equestri ordine eos legi consueuisse: quod TACITVS *in Agricolæ vita c.*4. indicat. *Vtrumque*, ait, *auum procuratorem Cæsarum habuit, quæ Equestris nobilitas est.* Lecti deinde fiscalium rationum caussa in prouincias mittebantur, vel rerum omnium prouinciæ, vel certarum pro-

CAP. XVIII. Ad hoc caput præter scriptores de officiis domus Augustæ, confer omnino *Iusti Lipsii Excurs.* ad TACITI *Annal. lib.* XII. *lit.* B. *Ill. van. Bynkershoek Obseruatt. Iur. Ciu. lib.* II. *cap.* 20. & 21. *Ill. Heineccii Elem. Iur. Ciu. sec ord. Pand. P.* 1. §. 231. *seqq.* & interpretes ad *tit. Pand. de offic. procurat. Cæs.*

curatione mandata. *l. 32. abesse. & l. 35. qui mittuntur. §. 1. D. Ex quib. caus. maior.* Et initio quidem non aliæ eorum partes erant, quam vt vectigalia colligerent, & fisci iura tuerentur, æquoque cum priuatis iudicio persequerentur. Paullatim iurisdictio his attributa est, vt suum proprium fiscales causæ iudicem haberent. DION *lib.* LVII. *pag.* 618. Καπίτωνα, ait, τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ, ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων, ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν, ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι. *Capitonem, Asiæ Procuratorem, in senatum introduxit, obiiciensque ei, quod militibus vsus fuisset, quodque alia nonnulla, velut in prouincia imperium habens, gessisset, in exilium illum eiecit. Nec enim eo tempore imperatorias pecunias tractantibus aliud facere licebat, quam vt reditus vsitatos colligerent, deque litibus in foro iuxta leges instar priuatorum ius dicerent.* Claudium plane TRANQVILLVS *in eius vita c.* 12. refert, precario exegisse, vt rata essent, quæ procuratores sui in iudicando statuerent. Accepta ergo a Principibus iudicandi potestate, de pecuniariis, quæ inter fiscum & priuatos mouebantur, controuersiis, procuratores in prouinciis cognoscebant. *l. 2. C. Si aduers. fisc. l. 8. cum hi. §. 19. transactiones. D. de Transactio. l. 10. si heredum. C. de inoffic. testam.* Vnde VLPIANVS de officio Proconsulis agens: *Sane*, inquit, *si fiscalis pecuniaria causa sit, quæ ad procuratorem principis respicit, melius fecerit, si se abstineat. l. 9. nec quicquam. D. de offic. Proconsul.* vbi merito, si fiscalis pecuniaria causa sit. Nam de criminum quæstionibus procurator Cæsaris non cognoscebat, sed ea cognitio ad proconsulem vel præsidem pertinebat. *l. 4. C. Ad legem Fab. de plag. l. 2. C. de Pœn.* Finita certe pœnæ quæstione, vel crimine morte extincto, apud procuratorem reliqua de bonis dis-

PERSEQVERENTVR] Hinc etiam iudicium suscipere debebant, quando lis fisco intentabatur. vid. PLINIVS *in Panegyr. cap.* 36.

STATVERENT] Ita sub initium principatus ciuiliter se gessit: sed postea, confirmatus iam, statuit, *parem vim rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum, ac si ipse statuisset*: id quod tunc etiam SC. cautum fuisse, testatur TACITVS *Annal. lib.* XII. *cap.* 60. Hinc VLPIANVS in *L. 1. pr. D. de offic. procur. Cæs.* pronunciat: *Quæ acta gestaque sunt a procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Cæsare gesta sunt.*

ceptatio peragebatur. l. 1. & *l. 2. C. Vbi causæ fiscal.* Deportandi vero, vel relegandi, vel alterius pœnæ inferendæ, aut etiam multæ dicendæ ius non habebat. *l. vlt. D. de Offic. procur. Cæsar. l. 2. C. de Pœn. l. 2. curatores. C. de Modo mult.* Sed nec de causis status cognoscebat. *l. 2. C. Vbi. de causa stat.* de his scilicet, in quibus de ingenuitate quærebatur. *l. 7. si pater. C. Ne de statu def.* Nam libertinitatis & seruitutis causæ apud eum agebantur. *l. 5. iam dudum. C. Vbi causa stat.* Locare plane atque addicere fisci prædia, *l. 3. §. 5. diui. l. vlt. D. de Iure fisc. l. 4. C. vbi causæ fisc.* Debita fiscalia exigere, *l. 47. Moschis. §. 1. D. de Iure fisc. l. vlt. D. de Interrogat. in iu. fac.* Iubere item seruos fisci (quod in eo præcipuum est) delatas hereditates adire procurator poterat. *l. 1. §. 2. D. de offic. Procur. Cæs. l. 46. aufertur. §. penult. D. de Iure fisc. l. 25. si quis mihi. §. 2. D. de Adq. her.* Non tamen sine auctoritate Principis & inconsulto eo transigere. *d. l. 1. §. 1. de offic. procur. & l. 13. nulli. D. de Transaction.* Cæterum aduersus procuratorum suorum sententiam solus Princeps in integrum restituere poterat. *l. 1. C. Vbi & apud quem integ. rest.*

CAP. XIX.

De Præfecto Ærarii.

QVod in prouinciis procuratoris Cæsaris, hoc in vrbe, quantum coniicio, præfecti ærarii munus erat. De cuius constituendi origine, varieque mutata ærarii administratione breuiter commemorandum est. Ærarii, quod in Saturni æde a Valerio Publicola constitutum, PLVTARCHVS *Quæst. Rom. num.* 42. MACROBIVS, *Saturn. lib. 1. c.* 8. aliique referunt, cura Quæstoribus stante Repub. mandabatur: quorum officio pecuniæ publicæ,

CAP. XIX. Huius capitis vberior illustratio petenda est, ex scriptoribus, qui de ærario, eiusque Quæstoribus ac Præfectis ex instituto commentati sunt. Breuiter & accurate totam rem explicauit *Iust. Lipsius* in *Excurs* ad TACITI *Annal lib.* XIII. *lit.* B. Nota interim hæc. Libera republica omnis pecunia publica ad ærarium pertinebat: sub Imperatoribus deinde fiscus ab ærario distingui cœpit, & hinc diuersis opus fuit personis, quæ fisco, quæque ærario præessent. Denique ærarium plane interiit, & a fisco fuit absorptum: quod quando factum sit, non adeo accurate definiri potest. Confer. *Ill. Heinecc Elem. Iur. Ciu. sec. ord. Pand.* P. VII. §. 288. eiusque *Syntagma Antiqq. lib.* 1. *tit.* 25. §. 10. seq. nec non illius *Comment.* ad *Legem Iul. & Pap. Popp. lib.* III. *c.* 1. §. 2. *pag.* 360. *seqq.*

quæ per eos ex vectigalibus, populique Rom. agris, prædis item ac manubiis, redigebatur, in diuersos vsus erogandæ, onus incubuisse notius est, quam vt exempla testimoniaque proferenda sint. Posteaquam vero imperium suum omne in Principem populus transtulit, varie habita ac sæpe immutata eius rei forma fuit. Nam Augustus senatui primum eligere præfectos permisit: dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducti sunt ex numero Prætorum, qui præessent, quemadmodum TACITVS *lib.* XIII. *Annal. c.* 29. scribit & SVETONIVS *in Aug. cap.* 36. ita perstringit: *Auctor & aliarum rerum fuit, vt cura ærarii a Quæstoribus vrbanis ad Prætores, Prætoriosue transiret.* Eaque de causa verisimile est ab eo prætorum numerum auctum: quod idem eodem loco TRANQVILLVS & noster POMPONIVS *in l* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* scribit. Itaque in eo Senatusconsulto, quod de Curatoribus aquarum, Q. Ælio Tuberone & P. Fabio Maximo Coss. factum est, ita scriptum erat, vt apud FRONTINVM *lib.* II. *de Aquæductib.* legimus: *Quique ita delati essent, iis Prætores ærarii mercedes, cibaria, quanta præfecti frumento danda dare ferreque solent, annua darent & attribuerent.* Et paulo post: *Q. Ælius, P. Fabius Coss. ambo, alteruè, si iis videbitur, adhibitis Prætoribus, qui ærario præsint, ea præbenda locent.* TACITVS *lib.* I. *Annal. c.* 75. *Resistentibus ærarii prætoribus subuenit Cæsar, pretiumque ædium Aurelio tribuit.* In monumento quoque apud Dalmatas effosso prætoris ærarii fit mentio. Per hos vero ærarium ad Claudii vsque tempus administratum est. Is, quia sors ad parum idoneos deerrabat, Quæstores rursum imposuit: iisque (ponam enim ipsa TACITI ex *libro* XIII. *Annal. c.* 29. verba) ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Qua de re sic TRANQVILLVS *in Claudio cap.* 24. *Collegio Quæstorum curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore Prætores, aut qui tunc Prætura functi, sustinuerant.* Hæc ille. Sed deerat, ait TACITVS, robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfunctos & experientia probatos delegit, & tabularum pecuniarumque publicarum cu-

ITA PERSTRINGIT] Adde DIONEM CASS. *lib.* LIII. *pag.* 497. qui ita loquitur: Πρός τε τὴν διοίκησιν αὐτῶν, δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε. *Instituit etiam, vt administrationi ærarii bini prætorii viri præficerentur.*

ram

ram a Quæſtoribus ad præfectos transtulit. Præfecti vero hi ærarii appellati ſunt, quos ex prætoriis creatos exiſtimo. A prætoribus certe Veſpaſiano imperante ærarium tractatum fuiſſe idem TACITVS *Hiſtor. lib.* IV. *c.* 9. ſcribit. POMPONIVS *L.* 2. §. 32. *D. de O. I.* etiam a Diuo Nerua prætorem vnum adiectum refert, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret. Quem præfectum ærarii appellatum veroſimile eſt: cuius idem quod Quæſtoris in libera Repub. munus fuiſſe GELLIVS *lib.* XIII. *cap.* 23. locuples teſtis eſt. *Manubiæ ſunt,* ait, *non præda, ſed pecunia per Quæſtores populi Rom. ex præda vendita contracta. Quod per Quæſtores autem dixi, intelligi nunc oportet præfectum ærario ſignificari. Nam cura ærarii a Quæſtoribus ad præfectum translata eſt.* Quamobrem vacantia & caduca bona, aut quæ ex alia cauſa in ærarium colligebantur, præfecti ærarii cogebant. *l.* 13. *edicto. D. de Iure fiſc.* Fiſcales quoque cauſæ apud eos agebantur: quod ſignificari ab VLPIANO palam eſt in *l.* 2. §. 4. *hoc interdictum. D. Ne quid in loco pub.* cum ait: *Res enim fiſcales quaſi propriæ & priuatæ principis ſunt. Igitur ſi quis in his aliquid faciat, nequaquam hoc interdictum locum habebit: ſed ſi forte de his ſit controuerſia, præfecti eorum iudices ſunt.* Vbi neſcio an non pro, *eorum*, *ærarii* ab Vlpiano ſcriptum fuerit. Cognouiſſe plane præfectos & pronuntiaſſe *l.* 12. *cum quidam. D. de His quæ vt indign.* & *l.* 15. *ſenatus.* §. 4. *quod ſi tribus.* & *l.* 42. *Arrius Seuerus. D. de Iure fiſc.* docent: Ex eorumque auctoritate & arbitratu de alimentis fiſco ex vltima voluntate debitis tranſigebatur. *l.* 8. *cum hi.* §. 19. *tranſactiones. D. de Tranſactionib.* Apud hos etiam natales profesſiones ex conſtitutione D. Marci fiebant, vt CAPITOLINVS *in eius vita c.* 9. ſcribit. Fuit vero & alius ærarii militaris, quod ſibi in bellorum ſubſidia Auguſtum inſtituiſſe SVETONIVS *in eius vita c.* 49. auctor eſt, præfectus: qui in inſcriptione Mediolanenſi, quæ Plinii Elogium continet, a præfecto ærarii Saturni ſeparatur.

AERARII MILITARIS] AVGVSTVS, auctor ærarii militaris, huius curam prætoriis tribus, ſorte lectis, ad triennium mandauit. Vid. DIO CASS. *lib* LV. *pag* 565. SVETONIVS in *Aug. cap.* 44.

SEPARATVR] In ea enim vocatur Plinius PRÆF. ÆR. SAT. PRÆF. ÆR. MIL. vide *Gruteri* Opus Inſcr. *p.* 454. *n* 3. & 5. & *pag.* 1028. *n.* 5. *Ioh. Maſſon Vitam Plinii Iun.* in *Præf. pag.* 6. *ſeqq.* Fallitur vero vir hic doctiſſimus, dum in ipſa vita, *pag.* 85. putat, hiſce temporibus Præfecturam ærarii militaris a Præfectura ærarii Saturni non fuiſſe diſtinctam, idque fruſtra probare conatur ex TACITO *Annal. lib.* V. *cap.* 8. vbi de ſolo ærario militari ſermo eſt. Aliud ſane ipſa hæc Inſcriptio ſua-

CAP. XX.

De Procuratore rei priuatæ.

PRæter fisci procuratorem, alium etiam rerum priuatarum, propriique sui patrimonii procuratorem principes habuerunt. Hoc nos VLPIANVS docet in *l. 39. cum seruus. §. vltimo. D. de Legat.* I. his verbis: *Sed & prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonii redacta, sub procuratore patrimonii habentur, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari.* Meminit huius procuratoris & CAPITOLINVS *in Macrino. c. 7. Mortem*, ait, *Antonini senatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, primum in patricios adlegit, nouum hominem, & qui paullo ante procurator priuatæ rei fuisset.* Et initio eius libelli. *c. 2. Occiso ergo Antonino Bassiano, Opilius Macrinus, præfect. pratorio eius, qui antea priuatas curabat, imperium arripuit.* Institutum vero primum a Seuero hunc procuratorem post Clodium Albinum victum SPARTIANVS *in vita Seueri c.* 12. auctor est. Antea vero rei familiari principis liberti plerumque, nonnunquam Equites, sine aliqua administrationis & muneris forma, duo pluresue præficiebantur. TACITVS *lib.* XIII. *Annal. c.* I. *Ministri fuere P. Celer Eques Rom. & Ælius libertus, rei familiari principis in Asia præpositi.* Hunc procuratorem credo rei dominicæ appellari in *l. penult. de Conueniend. fisci debit. lib.* x. *Cod.* Idem, aut certe, quod ad procurationem rerum priuatarum attinet, simile, sub posterioribus Imperatoribus, Comitis rerum priuatarum munus: de quo in *l. vlt. C. de Adsessorib. l. vlt. de Petit. bonor. subl. lib.* x. *C. l.* 3. *C. de Bon. vacantib. l.* 64. *neminem. de Decurionib. lib.* x. *C. l.* 1. *C. de Aduoc. diuers. iudicum.*

CAP. XXI.

De Fisci patrono, siue aduocato.

FVit & fisco suus ac proprius patronus, isque a Marco Antonino Philosopho primum, si CAPITOLINO

dere videtur Et si vel maxime dare vellemus, (quod tamen nondum satis probatum) Plinium vno eodemque tempore vtramque Præfecturam gessisse: ipsa tamen officia manserunt distincta, neque ea semper in vna persona simul coniuncta fuisse probari potest.

CAP. XX. Quæ ad huius & sequentis capitis illustrationem pertinent, ea plena manu dabunt scriptores, qui offi-

credi-

credimus, institutus. Aderat hic fiscalibus causis, *l. vlt. D. de Iure fis. l. vlt. C de adu. fis.* liberalibusque maxime, quæ non interueniente eo decisæ in integrum ex eiusdem Marci rescripto restituebantur, *l. 3. § 9. diuus Hadrianus. & l. 7. si fisc. D. de Iure fisc.* Et quoniam rara de hoc aduocato in Pandectis litterarum monumenta extant, ad posteriorum Imperatorum tempora orationem conuertam, ex eorumque constitutionibus, quæ fuerit huius aduocationis ratio, petam. Inuenio autem ex aduocatione cuiusque sedis, quæ certo numero definita erat, fisci patronos creatos, vel singulos, vel binos, eosque vel annuo, vel bienni munere functos, pro varia cuiusque fori consuetudine. Et aduocationem quidem præfecturæ prætorianæ orientis Theodosius centum quinquaginta togatorum numero conclusit. *l. 8. cum aduocatio. l. 11. nemini. C. de Aduoc. diuers. iudicior.* Quem numerum & in Illyriciana præfectura, cui eadem quæ Orientali priuilegia tribuunt, obseruari Imperatoribus placuit. *l. 7. iidem. l. vlt. C. de Aduoc. diuers. iudicior. l. 2. C. de Aduoc. diuers. iudicum.* Ex ea classe in vtraque præfectura vnicus primum fisci patronus creabatur, quo ad VALENTINIANVS & MARCIANVS, constitutione ad Palladium Pr. Præt. Orient. emissa, in Orientis præfectura binos ex primoribus aduocatis singulis annis ad patronatum fisci adsumi constituere. *l. 10. binos. C. de Adu. diu. iudicior.* At in Illyrici præfectura, qui vnicus eligebatur, fisci patronus, biennio demum officii finem sortiebatur. *l. 12. sancimus. C. eod.* Vtrobique vero, qui patronatu fisci perfuncti erant, cohortalis, vel alterius vilioris conditionis nexibus cum liberis posterisque suis liberabantur, & Comitiua consistoriana aliisque honoribus ornabantur. *d. l. 8. cum aduocatio. & l. 7. iidem. & l. 11. nemini. C. de Adu. diu. iudicior. l. 4. laudabile. & l. 6. restituendæ. C. de Adu. diu. iudicum.* Vtrobique etiam sexaginta quatuor primores aduocati, ex centum quinquaginta statutis patronorum fisci beneficiis priuilegiisque

cia domus Augustæ ex instituto descripserunt.

CREDIMVS] Hoc nusquam apud CAPITOLINVM legi. SPARTIANVS potius hoc de *Hadriano* narrauit, in eius vita *cap. 20.* his verbis: *Fisci aduocatum primus instituit.* Idque verius esse ex *L. 1. §. 9. D. de iure fisci* apparet. Vt adeo auctorem memoria lapsum fuisse existimem. Eundem tamen errorem errauit *Dionysius Godofredus* in notis ad *tit. C. de adu. fisci.* Sed hic auctorem nostrum fideliter, sine vlteriori examine, vt solet, exscripsit.

hono-

honorabantur. *l. 15. post duos. C. de adu. diu. iudic.* Reliquarum ſedium varia conditio erat. In Alexandrino foro quinquaginta duntaxat ſtatuti erant aduocati, ex quibus patronus fiſci vnicus creabatur, qui biennium eo munere functus, exconſulari rectoris prouinciæ dignitate decorabatur. *l. 13. petitionem. C. eodem titulo.* In foro præſidali Syriæ triginta aduocatorum numerus præſcriptus erat, ex eoque fiſci patronus vnoquoque biennio eligebatur. *l. 5. petitionem. C. de Adu. diu. iudicum.* In foro comitis Orientis quadraginta aduocati erant, vnus fiſci patronus, qui biennio fiſco patrocinium præſtabat. *l. 3. C. de Aduoc. diu. iudicum.*

F I N I S.



V C.

V. C. ÆGIDIO BOVRDINO,

Regio in Senatu Parisiensi procuratori,

B. Brissonius S. D.

ABsoluto tertio harum Antiquitatum libro, gradum sistentem me subito tuorum beneficiorum memoria pupugit, quartique inchoandi cupiditatem iniecit, vt te litterario eo munere, quo solo possum, remunerarer. Amplissimum vero protinus mihi ad scribendum æstu quodam animi delato, argumentum libri nostri suppeditauere: in quibus cum multa nostra ætas obseruet cottidie, plura etiam fortassè posteritas adnotatura est. Ex his plane quæ tum occurrerunt, digniora seligens libellum istum concinnaui. Eum nunc ad te cum omni nostra opera defero. Bene vale. Lutetiæ Parisiorum Kal. Octobrib.

M. D. LVII.



B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIB. IV.

CAP. I.

Qualiter accipienda sit Possessionis definitio a Iauoleno tradita in l. 115. *quæstio. D. de Verb. sign.*

OBscurum est, quid hæc IAVOLENI verba in *L.* 115. *D. de V.S.* significent: *Possessio ab agro iuris proprietate distat. Quidquid enim adprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, nec pertinere potest, hoc possessionem appellamus.* Atque exercuit hic locus clarissimos nostræ ætatis Iureconsultos, quorum alii a XII. *Tabul.* rem inani coniectura repetentes, alii ad loca sacra, quæ extra commercium posita hac definitione concludi non possunt, referentes, longe a Iauoleni mente aberrant. Mihi valde semper *Gerardi Pererii Tholosani*, professoris, sententia placuit, qui cum in eo errare atque labi cæteros animaduertisset, quod quæ de re ipsa & corpore a Iauoleno dicuntur, ea ad detentionem rei transferunt, primus, quod sciam, animum aduortit ad cogitandum, num aliqua antiquitus prædia fuerint, in quæ definitio illa caderet. Etenim Iauoleno trium harum appellationum, *Ager*, *Possessio*, *Fundus*, differentiam exequenti, propositum fuit docere, corpus id, cuius plenum vsum habemus, proprietatem non habemus, nec habere possumus, possessionem appellari. Quo in genere prouincialia, tributaria, stipendiariaque, item vectigalia prædia pono. Cuius rei demonstrandæ initium paullo altius repetam necesse est. Lege belli capientium fiunt, quæ ab hostibus capiuntur. Proinde bello subactarum prouinciarum agri publici populi

OBSERVATIONES AD LIBRVM IV.

CAP. I. Ad hoc caput, præter auctoris nostri *Opus de Verb. Signif. voc. possessio*, conferri possunt alii quoque interpretes ad eam, quæ hic explicatur, legem.

TRANSFERVNT] Possessio ergo aliquando pro iure possidendi; aliquando pro ipsa re, quæ possidetur, vt hoc loco, sumitur.

Rom.

Rom. fiebant. *l. 20. si captiuus. §. 1. D. de Captiu.* LIVIVS *lib. III. ad fi. Agrum de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis publicum populi Rom. factum.* CICERO *V. orat. in Verr. siue Accusat. in Verr. lib. III. c. 6. Perpaucæ Siciliæ ciuitates bello a maioribus nostris subactæ sunt, quarum cum esset ager publicus populi Rom. factus, tamen illis est redditus.* Sed enim ex hoste captos agros, Romani, vt eodem loco CICERO & SICVLVS FLACCVS *in lib. de Condition. agror. pag.* 2. & 16. & HYGINVS *in lib. de Limit. pag.* 159. *seq. & p.* 205. demonstrant, alios in victorem populum partiebantur, alios per quæstores, laterculis limitibusque actis, diuisos vendebant, alios militibus in præmium adsignabant, alios per censores locabant, aliis certum vectigal imponebant, quod stipendiarium dicebatur. Huiusmodi, quæ tributum quotannis populo pendebant, prædia, tributaria stipendiariaque dicebantur: quorum dominium ad populum Romanum, plenissimum vero fruendi ius ad prouinciales ipsos possessores pertinuisse THEOPHILVS bene sentit §. 40. *per traditionem. Instit. de Rer. diuis.* Erant & vectigales agri ciuitatum ac municipiorum, quos vel ad tempus, vel in perpetuum municipes locabant, dominio apud se manente, solum fruendi ius in conductorem transferentes, vt ex *l.* 15. *si finita. §. 27. D. de Dam. inf. & l. 71. si domus. §. vlt. de Leg. 1. l. 1. D. Si ager vectigal.* perspicue liquet. Quo posito, vel me tacente, ad ea prædia possessionis appellationem pertinere, eoque Iauolenum respexisse satis intelligitur. Ea enim eorum prædiorum conditio erat, vt eorum prouinciales neque essent, neque esse possent ex iure Quiritum domini: sed ea in bonis tantum haberent. Ὁι τὰ ϛιπενδιάρια (vt THEOPHILI *loco cit.* verbis vtar) καὶ τριβυτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, οὐκ ἦσαν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἦ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χρῆσιν, καὶ ἐπικαρπίαν, καὶ πληρεστάτην κατοχὴν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρων μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν

DICEBATVR] Confer, præter veteres auctores rei agrariæ, (quos nouissime iunctim edidit *Wilhel. Gœsius, Amstel.* 1674. 4to.) scriptores de vectigalibus & tributis, inprimis *V. Cel. Petri Burmanni* librum supra laudatum. Vide etiam *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. App. ad lib. 1. cap. 4. §. 114. seqq.* & *lib. III. tit. 23. §. 8. seqq.*

POPVLVM ROMAN.] *Nam, vt* ait SICVLVS FLACCVS *de condit. agror. pag. 2. sunt populi Romani,* (quoad summum scilicet dominium) *quorum vectigal ad ærarium pertinet.*

ἤτοι οἰκίων οἱ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. Qui olim ex concessione populi, vel Principis, stipendiaria, vel tributaria, prædia habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud populum, aut apud Principem: sed vsum & fructum eorum habebant, & plenissimam possessionem, ita, vt & transferre possent in alios, & ad heredes transmittere. Italicorum autem fundorum domuumque domini dominium habebant. Proprietas quidem idcirco ad prouinciales non pertinebat, quod ea in suum dominium populus victor redegisset: pertinere vero idcirco non poterat, quia nec mancipatione abalienari ea, nec vsucapi, cum iuris Italici non essent, poterant: quibus modis legitimum & ex iure Quiritum dominium contingebat. Quod IVSTINIANVS *in l. vn. C. de Vsucap. transf. & in Inst. tit. de Vsucap. in prin. & in* § 40. *per traditionem. tit. de Rer diuis.* strictim attigit. Ex quo sequitur, conuenienter Iauoleni definitioni, ea prædia possessiones appellari posse. Cui interpretationi mirifice consentit eiusdem verbi a FESTO *lib.* XIV. *v. possessiones*, & ISIDORO *lib.* XV. *Etymolog. cap.* 13. tradita definitio, quæ ita habet: *Possessiones appellantur agri late patentes publici priuatique, qui non mancipatione, sed vsu tenebantur:* id est, vt ego interpretor, quorum ex iure Quiritum domini non sunt, qui possident, sed vsum detentionemque habent.

CAP. II.

Extraordinariæ Executiones olim quænam appellarentur.

ORdinariæ, extraordinariæque cognitiones vti accipiendæ sint, satis iam ex eorum, qui de iure ciuili recta sentiunt, Commen-

CONTINGEBAT] Hæc accurate loquendo non tam ratio, quam consequens est. Ratio enim est, quia plane a dominio Quiritario priuatorum erant exemta: hinc in iis modi quoque adquirendi dominium Quiritarium nullum plane locum habere poterant, si vel maxime non a prouincialibus, sed a ciue Romano possiderentur. Alias enim in rebus nec mancipi per nudam etiam traditionem dominium Quiritarium adquiri potuisse, alio loco docui. (Vide *Tract.* meam *de testamentif.* cap. III. §. 9. & Relationes litterarias Hamburgenses (Hamburgische Berichte gelehrter Sachen) Anni huius 1740. *Num.* 20.

CAP. II. Ad huius capitis vberiorem illustrationem scriptores, qui de iurisdictione & iudiciis ex instituto egerunt, omnino sunt conferendi.

mentariis innotescit. Extraordinariæ executiones, quam significationem habeant, adhuc in obscuro positum, nec cuiusquam interpretatione patefactum puto. Duobus vero modis suas iudicumue a se datorum sententias magistratus exequebantur. Interdum enim iudicem arbitrumue in eam rem dabant. *l.* 15 *a diuo.* §. 6. *si post.* & §. 7. *sed si emtor.* & §. 8. *sic quoque iudices. D. de Re iudic. l.* 75. *si prætor. D de Iudic.* Idque recte atque ordine fiebat. Nonnunquam vero viatorem, apparitoremque, vice arbitri, ad iudicati, vel decreti sui, vel præcepti executionem dabant. *l. vlt. D de Iudic.* Eaque extra ordinem fieri executio dicebatur, quemadmodum demonstrat *l.* 50. *si pignora. D. de Euict.* his verbis: *Si pignora veneant per apparitores, Prætoris extra ordinem sententiam exequentes. l. vlt.* §. 3. *si quis. D. quod Met. caus.* In qua extra ordinem exactum dicitur, quod apparitore præsidis interueniente, cognitione iudicis nulla habita, exactum fuerat, quod ciuiliter per iudicem peti debebat. Sic & in *l.* 3 *D. Ne vis fiat ei, qui in poss.* extra ordinem exequi decretum suum Prætores dicuntur, quod ipsimet, iure suæ potestatis, ministrorum manu exequuntur. Nam ordinario iure interdicto res expeditur: vt euenit & in specie *l.* 1. §. 1. *nec solum. D. si Vent. nom. mul. in poss.* Quemadmodum igitur ordinaria cognitio tum appellabatur, cum ex formula apud iudices datos causa agebatur; extraordinaria vero cum ipsi magistratus notionem adhibebant suam: ita & quod iudicibus datis, actionibus interdictisque redditis exequebantur, ordine exequi; quod vero viribus imperii sui, per apparitores, & si res posceret, manu militari exequebantur, extra ordinem exequi dicebantur. Illa etiam prætoria erant iurisdictionis tuendæ remedia, pignoris capio, multæ dictio, corporis retentio ac coërcitio. *l.* 1. §. 3. *in fi. D. de Vent. insp.* §. 3. *quibus. Instit. de Satisd. tut: l.* 4. §. 1. *D. de Damno infect. l.* 9. §. *vlt. D. ad Legem Iul. pecul.*

IMPERII SVI] Mixti scilicet: vide supra *lib.* III. *cap.* 4. quæque ibi annotauimus.

MANV MILITARI] Quæ locutio occurrit in *L.* 50. *D. de rei vind.* & explicatur a *V. Ill. Corn. van Bynkershoek in Obseruatt. Iur. Ciu. lib.* III. *cap.* 14.

CAP. III.

Quæ sint sollemnia Munera in l. 12. cum plures. §. 3. cum tutor. D. de Admin. tut.

TVtor in re pupilli administranda, boni & attenti patrisfam. officio fungi, ac proinde minime necessariis sumtibus abstinere debet. Minerual tamen & *διδακτρα* præceptoribus pro facultate patrimonii & dignitate natalium constituere, sed & sollemnia munera parentibus cognatisque mittere eum posse lex admittit. *l.* 12. *cum plures.* §. 3. *cum tutor. D. de Admin. tut.* in qua merito dubitatur, quænam ea sint sollemnia munera. Vtique enim nuptialia, quod prima fronte quis diceret, intelligenda non sunt: quæ de pupilli bonis mittere tutor prohibetur, cum perquam necessaria non sit ista muneratio. *l.* 13. *tutor secundum.* §. *vlt. D. de Adm. tut. l.* 1. §. 5. *præterea. D. de Tutel. & rat. dist.* Magis est autem, vt sollemnia, secundum VARRONIS, FESTI, *v. sollo,* & SERVII interpretationem, anniuersaria accipiamus, eaque munera significari dicamus, quæ quotannis more recepto sibi inuicem cognati natali cuiusque die missitabant. Suadet hoc MARTIALIS versus 5. *lib.* IX. *Epig.* 55. qui ita habet:

Chara daret sollemne tibi cognatio munus.

Et alias: *lib. eod. Epig.* 56.

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro.

TERTVLLIANVS *in lib. de Idololatria, cap.* 10. *Etiam strenæ captandæ, & septimontium, & brumæ, & charæ cognationis honoraria exigenda omnia.* Atque hoc nomine a MARTIALE *lib.* VIII. *Epig.* 64. Clytus quidem notatur, qui sæpius vno in anno natalem suum, munera a cognatis, amicisque captans, celebrabat. Iam *Saturnalium* feriis muneribus sese Romanos inuitasse ex MA-

VARRONIS] In toto hoc auctore, nihil quod huc spectaret, reperire potui.

SERVII] Vide eius *Comment.* ad *Æneid. lib.* III. *v.* 301. Adde AVGVSTINVM, qui *Serm.* 186. *de Temp.* ita loquitur: *Solennitas ab eo, quod solet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccatur æstate, sed per totum annum fluit; ideo perenne, id est per annum. Sic & solenne, quod solet in anno celebrari.*

MISSITABANT] Die natali & amici sibi inuicem munera mittebant: cognati vero soli Charistiis, de quibus loquitur MARTIALIS locis ab auctore adductis. Sed res tam nota est, vt nulla probatione indigeat.

CRO-

CROBIO *lib.* I. *cap.* 7. & MARTIALE *lib.* IV. *c.* 7. & X. *Epig.* aliisque ita in promtu est, vt in eo probando longior sumi oratio non debeat.

CAP. IV.

Illicitarum olim Mercium exempla.

ILlicitas aliquas merces olim fuisse non nostri tantum consulti in *l.* 11. *cotem.* §. 3. *illicitarum. D. de Public.* & *l.* 1. *D. de His quæ vt indig.* & *l.* 6. *illicitas.* §. 3. *illicita. D. de Off. præsid.* probant, sed & TERTVLLIANVS *in lib.* V. *aduersus Marcionem c.* I. his verbis: *Quamobrem, Pontice nauclere, si numquam furtiuas merces, vel illicitas, in acatos tuas recepisti.* Eiusmodi vero mercium exempla ex posteriorum Imperatorum constitutionibus in medio posita sunt. Nec enim ignotæ sunt *Valentin.* & *Theod.* constitutiones, quibus purpuræ distrahendæ, & serici a Barbaris comparandi, priuatis potestatem auferunt. *l.* 1. & 2. *C. Quæ res vendi non poss. l.* 1. *de Vestib. holoser. lib.* XI. *C.* Æque patet, vinum, oleum, loricas, scuta, arcus, sagittas, gladios, spathas, vel alterius cuiuscunque generis arma ad Barbaros transferre non licere. *l.* 1. & 2. *C. Quæ res export. non poss.* Salis quoque commercium præter salinarum conductores aliis omnibus lege prohibetur. *l.* 11. *si quis sine. C. de Vectig. & commiss.* Armorum denique mercimonium priuatis a IVSTINIANO interdicitur in *Nouell.* LXXXV. *de Armis.* Verum hæc exempla ex eorum, qui longo post Iureconsultos interuallo secuti sunt, Principum constitutionibus sumta, antiquioribus Iureconsultorum scriptis accommodari posse non videbuntur, nisi earumdem vere rerum omnium, quas recensui, iam olim commercium cum Barbaris interdictum fuisse docuero. Constat certe ex ipsamet *l.* 11. *cotem. D. de Publican.* non licuisse ferrum, frumentum, sales, cotem i-

ET X. EPIG.] Apud MARTIALEM omnibus fere libris, præsertim vero toto *libro* XIII. & XIV. innumera horum munerum exempla reperies, vt singula annotare velle, obscuræ esset diligentiæ. Interim qui plura de muneribus apud Romanos solemnibus scire cupit, is adeat *Ill. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* II. *tit.* 7.

CAP. IV. Ad hoc caput conferenda omnino est *Ill. Heineccii* Dissertatio *de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commissis*, quæ inter eius *Opuscula Num.* VIII. exstat, in primis *Cap.* I. §. 11. & 12. ex qua, quæ ad huius doctrinæ illustrationem pertinent, abunde peti possunt.

tem

tem ſubigendo ferro neceſſariam, hoſtibus venundari. Sed nec equum militarem extra prouinciam duci conceſſum fuiſſe declarat *l. 12. officium.* §. 1. *D. de Re milit.* Cotes vero Creticas duntaxat primum notas, oleo ferri aciem excitantes: poſtea vero etiam aquarias cotes Italiam dediſſe, limæ vice ferro imperantes PLINIVS *lib.* XVIII. *cap.* 28. & *lib.* XXXVI. *cap.* 22. ſcribit. Hinc Cretæ Cotoriæ in *l. 15. Cæſar. D. de Publican.* Atque ex his eadem opera illuſtrabitur *l. vnic. de Litorib. & itiner. cuſt. lib.* XII. *C.* in qua merces illicitas ad Barbaros transferri Impp. vetant.

CAP. V.

De Agrorum formis, & earum æneis tabulis.

Qui tabulam æneam legis, formamue agrorum, aut quid aliud continentem, refixerit, vel quid inde immutauerit, lege Iulia peculatus tenetur. Verba hæc ſunt VLPIANI in *l. 8. qui tabulam. D. ad Legem Iul. pecul.* Quæ vt intelligantur, admonendi ſumus, agrorum adſignatorum, limitatorumque, id eſt, qui limitibus inſtitutis per centurias diuiſi erant, formas, modum cuiuſque centuriæ ac limitum complectentes, æneis tabulis, ad æternitatem fixis, tollendæ in poſterum omnis controuerſiæ cauſa, inſcribi conſueuiſſe. Hoc SICVLVS FLACCVS *lib. 1. de Condit. agror. pag.* 16. docet. *Agrorum diuiſorum*, ait, *qui inſtitutis limitibus diuiſi ſunt*, & *formæ varias appellationes accipiunt. Quidam arbores finales, alii in venis, alii in membris ſcripſerunt. Hic tamen quicquid inſtituerunt, curandum erit, vt fide publica æſtimetur, neu quis voluntario finem proferat. Illa tantum fides videatur, quæ æreis tabulis manifeſtata eſt. Quod ſi quis contradicat, ſanctuarium Cæſaris reſpici ſolet. Omnium enim agrorum, & diuiſorum, & aſſignatorum, formas, ſed & diuiſionem, & commentarius, & principatus* (ſiue, vt Gœſius

CAP. V. Ad hoc ſequensque caput conferendi omnino ſunt ſcriptores rei agrariæ, quos poſt alios iunctim cum doctiſſimis obſeruationibus edidit *Wilh. Gœſius*, *Amſtel.* 1674. 4to.

LEGIS] Vulgata Pandectarum editio habet *leges*: Quam lectionem meliorem eſſe propter connexionem exiſtimo. Sed iudicet lector.

VLPIANI] Immo potius VENVLEII SATVRNINI, vt inſcriptio teſtatur

DIVISI SVNT] Locus mutilus: quem *Gœſius* ita ſupplet: *variæ ſunt formæ.*

ARBORES FINALES] Locus ſine dubio mendoſus, quem *Gœſius* ita emendat: *Quidam in arbore res finales.*

emen-

emendat: *sed & diuisionum commentarios principatus) in sanctuario habet. Qualescunque enim formæ fuerint, si ambigatur de earum fide, ad sanctuarium principis reuertendum erit. Et quamuis vna res sit forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem, alii limitationem, alii cancellationem, alii typon, quod, vt supra diximus, vna res est, forma. Quidam formas, quarum mentio habita est, in ære sculpserunt, id est, in æreis tabulis scripserunt.* Et alio loco: *(pag. 21.) Horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis sumti sunt, proprias factas esse formas, id est, suis quamque limitibus regionem diuisam.* Nam in his æneis tabulis totam diuisionis & adsignationis rationem perscribebant: verbi gratia: DATVM, ADSIGNATVM ILLI TANTVM. REDDITVM, COMMVTATVM PRO SVO. REDDITVM VETERI POSSESSORI: quorum notæ quædam apud VALERIVM PROBVM conspiciuntur. Hoc idem SICVLVS ostendit, *pag.* 24. his verbis: *Comperimus vero in aliquibus regionibus & pascua & siluas adsignatas esse, adscriptumque in formis ita:* ILLI ET ILLI TOT SILVAS ET PASCVA, IVGERA TOT. HYGINVS *lib.* I. *de Limitib. pag.* 193. *Omnes significationes,* ait, *& formas æreis tabulis inscribemus.* DATA, ADSIGNATA, CONCESSA, EXCEPTA, COMMVTATA PRO SVO, REDDITA VETERI POSSESSORI, *& quæcumque alia inscriptio singularum litterarum in vsu fuerit, & in ære permaneat. Libros æris, & typum totius perticæ, linteis descriptum, secundum suas terminationes, adscriptis affinibus, tabulario Cæsaris inferemus, & si qua beneficio concessa aut assignata coloniæ fuerint, siue in proximo, siue inter alias ciuitates, in libro beneficiorum adscribemus, & quicquid aliud ad instrumentum mensorum pertinebit, non solum colonia, sed & tabularium Cæsaris, manu conditoris subscriptum, habere debet. Idem lib.* II. *pag.* 209. *Nuper enim quidam euocatus Augusti, cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imp. Traiani adsignaret, in ære, id est in formis, non tantum modum, quem adsignabat, adscripsit, aut notauit, sed & extremam lineam vniuscuiusque modi comprehendit. Idem alio loco pag.* 155. *Nam & alia præfectura aliter conuersi sunt limites, vt habeant in æris inscriptionibus inter limitem nouum & veterem iugera forte* LXX. AGGENVS VRBICVS, *Frontini* interpres *p.* 54. *Ex modo,* ait, *illo, qui ære scriptura continetur, forma liquebit, etiamsi dominus aliquid vendidisset.* Sic accipiendum erit, quod

S iidem

iidem auctores in controuersiis æs respici scribunt. Ex his enim tabulis controuersiæ de agrorum modo finibusque decidebantur. Cæterum diuisorum duntaxat, atque adsignatorum agrorum formæ in tabulas referebantur: in occupatoriis agris, id est, quos pulsis veteribus possessoribus victor populus occuparat, nullum æs, nullam formam fuisse, quæ publicæ fidei possessoribus testimonium redderet, idem SICVLVS *pag.* 3. tradit.

CAP. VI.

De legibus Agrorum.

PRiusquam ab agrorum sermone, in quo superioris capitis oratio versata est, discedam, etiam illud adnotabo, leges quasdam agris dici solitas: quod & ad intelligentiam *l.* 1. *§. vlt. D. de Aq. & aq. pluu.* pertinet. Dicebantur vero hæ leges priuatis quidem agris a patribus familias, qui eos constituebant: adsignatis autem, vel colonicis, ab his qui veteranos coloniasque ex lege deducebant. HYGINVS *lib.* 11. *de Limitib. pag.* 206. cum de adsignatis agris agit. *Hi agri*, ait, *leges accipiunt ab his, qui veteranos deducunt: & ita propriam obseruationem eorum lex data præstat in his agris.* SICVLVS FLACCVS *in lib. de Condit. agr. pag.* 18. *Auctores*, ait, *adsignationis, diuisionisque leges quasdam colonis describunt, vt qui agri delubris, sepulcrisue publicis, qui solis itineris, viæ, actus, ambitus, ductusque aquarum, qui publicis vtilitatibus seruierint, ad id vsque tempus, quo agri diuisiones fierent, in eadem conditione essent, qua ante fuerant.* Sic & FRONTINVS omnes limites secundum legem colonicam itineri publico seruire debere scripsit. Atque ita legem interpretari in *d. l.* 8. *qui tabulam. D. ad Legem Iul. pecul.* nihil prohibet.

DEBERE SCRIPSIT] Auctor sine dubio respexit ad locum, qui inter *Fragmenta terminalia* apud *Gœsium pag.* 148. occurrit: *Omnes limites itineri publico seruire debebant, qui dextra ac sinistra fines priuatos diuidunt, & in medio iter publicum.*

CAP. VII.
De legibus Iuliis Iudiciorum.

DVæ feruntur iudiciariæ Iuliæ leges. Priuatorum iudiciorum vna; altera publicorum. Illa totam priuatorum iudiciorum formam, rationem ac regulam complectebatur, vel ipso GELLIO teste, cuius ipsamet verba ex *lib.* XIV. *cap.* 2. posui. *Atque in rerum quidem diffusionibus, comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Iulia, & ex Sabini Masſurii, & ex quorumdam aliorum Iuriſperitorum Commentariis commoniti & adminiculati sumus.* Eius legis ex his, quæ extant Antiquitatis reliquiis, tria capita notasse mihi videor: vnum, quo cauebatur, ne minor XX. annis iudicare cogeretur: quod in *l.* 41. *cum lege D. de Recept. qui arbit.* positum est. Alterum, quo vetabatur iudex eius rei, de qua iudex erat, arbitrium recipere, inue se compromitti iubere: quod æque relatum est in *l.* 9. *sed si in seruum.* §. 2. *si quis iudex. D. de Recept. qui arbitr.* Tertii, quod de iis, qui se iurisdictioni alicuius subiiciunt, scriptum erat, verba quædam VLPIANVS exponit in *l.* 2. §. 1. *D. de Iudic.* Ad eundem modum *lege Iulia publicorum* forma, meo quidem iudicio, publicorum iudiciorum exercendorum præscribebatur. Proferam argumenti causa, quæ in iure ciuili ex hac ipsa lege descendentia continentur. Id autem ea lege cautum fuisse traditur, ne eodem tempore de duobus reis quis quæreretur, nisi suarum iniuriarum causa. *l.* 12. *hos accusare.* §. 2. *lege. D. de Accus.* Eadem lege continebatur, vti locum, in quo delictum admissum esset, & personam, cum qua admissum diceretur, & mensem designarent, qui reos deferebant. *l.* 3. *libellorum D. de Accusat.* Hac etiam lege contra adgnatos & adfines testimonium dicere inuitum neminem cogi PAVLVS ait in *l.* 10. *Iurisconsultus. D. de Gradib. & adf.* Cu-

CAP. VII. Ad hoc caput conferri possunt Scriptores de legibus Romanorum, inprimis B. *Christ. Godofr. Hoffmanni Historia Iuris Tom.* I. *p.* 127. & 148 *seqq.*

TERTII] De hoc capite vide *Gerb. Noodt de Iurisdictione lib.* II. *c.* 12.

DE DVOBVS REIS] De lectione huius loci disputant *Cuiacius Obseruatt. lib.* VII. *cap.* 12. & *Radulph. Fornerius Rer. quotidian. lib.* IV. *cap.* 16. Confer *Ioh. Guil. Hoffmanni* librum ad L. *Iul. de Adult. cap.* VI. *pag.* 120.

COGI] De hoc capite vide *Collationem legum Mosaic. & Roman. tit.* XI. ibique interpretes, in *iurispr. anteiust. pag.* 766. *seq.* & Ill. *Heineccii Comment. ad L. Iul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 17. *p.* 309.

ius capitis plenius idem in *l.* 4. *D. de Testib.* sententiam exponit. *Lege*, inquit, *Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuntietur, vt testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosue qui priore gradu sint. Item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentium, viri, vxoris, item patroni, patronæ, & vt ne patroni, patronæ aduersus libertos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere.* Quo referenda est *l.* 2. *D. de Accusat.* cuius in *Pand. Flor.* verba transposita facile a quouis restituentur. Ad hæc lege Iulia publicorum comprehensum accepimus, vt ne reus, qui accusatori publico iudicio ideo præscribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum & absolutum fuisse, prius accusetur, quam de prioris accusatoris præuaricatione constiterit, & pronuntiatum fuerit. *l.* 3. §. 1. *D. de Præuaricat.* Plane cum in priore accusatione præuaricatio accusatori obiiciebatur, legem voluisse, vt reus ante perageretur, tunc de præuaricatione quæreretur, PLINIVS *lib.* III. *ep.* 9. *ad Minutiam*, auctor est. Videlicet quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimaretur. Erat & illud in ea lege, vt si seruus capitali crimine postularetur, sisti eum vel ab extraneo satisdato promitteretur. Quod si non defenderetur, in vincula publica coniiceretur, vt ex vinculis causam diceret. *l.* 2. *D. de Custod. reor.* Reum quoque vel accusatorem, qui domum iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus committere, & centum aureis multari MODESTINVS adnotat in *l.* 1. *in fi. D. ad Legem Iul. de amb.* Enimuero quod Imper. Alexand. rescripsit, Reos capitalium criminum absentes per procuratores defendi legibus iudiciorum publicorum permitti, *l.* 3. *C. de Accusat.* non tam ad legem Iuliam, quam ad omnes speciales publicorum criminum leges videtur pertinere.

AVREIS MVLTARI] Hanc pœnam tamen non ex ipsa lege, sed ex SC. quodam peruenire, annotauit *Hoffmannus* in *Historia iuris pag.* 150. Præterea numerum patronorum hac quoque lege definitum fuisse, colligi posse videtur ex ASCONIO PED. in *Argum. Orat. Ciceronis pro Scauro, pag.* 171. Denique & Augustum in legibus iudiciariis triduo seruari ferias Saturnaliorum iussisse, auctor est MACROBIVS *Saturn. lib.* I. *cap.* 10.

CAP.

CAP. VIII.

De Itinerum per Lapides dimetiendorum ratione, & Leuga Francica.

TRitum est, Romanos itinerum spatia miliaribus & lapidibus dimensos fuisse. Pleni sunt exemplorum libri, quibus congerendis opera litterisque non abutar. Si quis tamen eius rei probationem ex libris nostris desideret, in promtu sunt *l.* 1. §. 4. *initio. D. de Offic. præf. vrb. l.* 21. *propter litem.* §. 2. *D. de Excus. tut.* §. 16. *qui excusare. Instit. eod.* Apparet autem ex *d.* §. *initio*, lapidem & miliarium pro eodem dici. Et miliarium a mille passuum numero dictum nemo ignorat. Lapidis in eadem significatione vnde manarit appellatio, hoc est quod explicare studeo. Quod mihi antea obscurum PLVTARCHVS *in Gracchis p.* 838. patefecit, a quo didici, singulis miliariis, auctore Tiberio Graccho, lapideas columnas, spatiorum signa inscripta habentes, positas fuisse. Vnde lapidibus itinerum quoque dimensionem fieri in vsum venit. Verba PLVTARCHI sunt hæc: πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σαδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκε, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵππους ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἀπ' αὐτῶν, ἀναβολέως μὴ δεομένοις. *Adhæc viam omnem per miliaria dimensis, (capit autem paullo minus octo stadia miliare) columnas lapideas spatii signandi gratia locauit. Alios lapides modicis inter se interuallis hinc inde secundum viam disposuit, quibus equitantes sine subiicibus ephippiariis conscenderent commodius equos.* Hoc & QVINTILIANVS *lib.* IV. *cap. vlt.* indicat *Reficit quoque* (de partitione loquitur) *audientem certo singularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia.* BOETHIVS etiam *lib.* III. *Geometr.* lapides quosdam, quos appellat Cursorios antiquitas, inscriptos fuisse ait, quibus itinera discriminarentur. Nec prætereibo venisse aliquando in manus meas vetustum Canonum pœnitentialium, quos vocant, librum, ex cuius præfatione hæc verba excerpsi. *Quisnam hominum erit, qui sibi*

POSITAS FVISSE] De lege hac Gracchi viaria confer omnino *V. Excell. Euerh. Ottonis* librum eruditissimum *de Tutela viarum, Part.* II. *cap.* 4. qui etiam *cap.* 6. de milliario aureo in foro Romano erudite, vt solet, disputat.

manendum existimet in itinere, cum viderit miliaria lapidea litteris plena viam docere? Sed hoc ipsum illustrius fiet eius monumenti, quod *Thelesiæ* extat, inscriptione relata, quæ ita habet: VIAM FECEI AB REGIO AD CAPVAM, ET IN EA VIA PONTES OMNES MILIARIOS TABELLARIOSQVE POSEIVEI, HINCE SVNT NOVCERIAM MEILIA LI. &c. Hic illud excessus loco subiungam, vt Romanos miliaribus, ita & Francos *leugis* iam ab vltima antiquitate metiri, esseque hoc vocabulum mere Francicum, vt ex PAVLO VVARNEFRIDO *lib.* XV. *Appendicis ad Eutrop.* & HIERONYMO *in Iobelem*, & ex legibus, quas THEODORICVS, *rex Francorum*, *Baiuuariis* conscripsit, & ex his fragmentis, quæ ex ISIDORO aliisque innominatis in libello variorum Auctorum *de Limitibus* congesta sunt, comprobatur.

CAP. IX.

Quænam in iure Dominii impetrando olim forma seruaretur.

CReditores, qui pignus acceperant, cuius facilis & expedita distractio non esset, debitoribus in solutione cessantibus, vt id sibi iure dominii possidere liceret, a Principe plerumque impetrasse in iure ciuili satis est cognitum. *l.* 24. *eleganter. D. de Pign. actio. l.* 63. *si is qui in aliena. §. vlt. D. de Adquir. rer. do. tit. de Iure dom. impet. C.* Sed ea in re quænam sollemnia seruarentur, non satis liquet, eoque obscurior est *l.* 1. *C. de Iure dom. impetr.* in qua huiusmodi sollemnium mentio habetur. Ego de eo quod proferam, hoc tantum habeo; pignus primum a creditore proscribi venaleque proponi solitum. Eius si emtor non inueniretur, vel minus idoneus inueniretur, tunc a Principe creditor, vt sibi iure dominii tenere habereque liceret, postulabat.

LEVGIS] Scribitur & *leuga*, & *leuca*, & *leuua*. Conf. omnino de hac voce *Vossii* librum *de Vitiis sermonis, lib.* II. *cap.* II. & *lib.* III. *cap.* 19.

CONGESTA SVNT] Vbi *pag.* 311. *ed. Gœsii* sequentia occurrunt verba: *Milliarius & dimidius apud Gallos leuuam facit, habentem passus mille quingentos. Duæ leuuæ, siue milliarii tres, apud Germanos vnam rastam efficiunt.* Eodem modo IORNANDES *de reb. Gethic. cap.* 12. *Leuga Gallica*, inquit, *mille & quingentorum passuum quantitate metitur.* Adde AMMIANVM MARCEL. *lib.* XVI. *cap.* 13. ibique interpretes: & confer præterea Lexica & Glossaria.

Quo

Quo facto debitori anni spatium indulgebatur, intra quod oblato debito pignus luere ac reuocare posset: post eum annum lapsum deinceps creditor ex rescripto principis pro domino pignus possidebat. Quod nisi vnius IVSTINIANI testimonio cognitum esset, id ipsum vetustas vt alia multa obliuione obruisset. Verba IVSTINIANI ex *l. vlt. C. de Iure domin. impetr.* hic adscripsi. *Igitur in pignoribus, quæ iure dominii possidere aliquis cupiebat, proscriptio publica & annus luitionis antiquitus introducti sunt. Pignus autem publice proscriptum neque vidimus, neque, nisi tantummodo ex librorum recitatione, audiuimus.* Hinc autem interpretatio *d. l. 63. si is qui in aliena. §. vlt. D. de adquir. rer. dom.* petetur, in qua ita est: *Quæ cum ita sint, & cum ex principis auctoritate creditor vt proprium agrum tenere cœperit, iure dominii, intra constitutum luendi tempus pignoris causa vertitur:* constitutum tempus anni intellige, qui ad luendum pignus debitori concedebatur.

CAP. X.

De Plus petentibus.

EOs, qui plus petebant, causa olim cecidisse CICERONIS *ex lib. I. de Orator. cap.* 36. verbis confirmari solet. Sunt & alia præterea de ea re loca notanda, quæ hic congessi. Idem CICERO *pro Q. Rosc. Com. cap.* 4. *Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem, in qua legitimæ partis sponsio facta est. Hic tu si amplius* H. S. *nummo petisti, quam tibi debitum esset, causam perdidisti.* SVETONIVS *in Claudio c.* XIV. *Nam & iis, qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones.* PAVLVS *lib.* III. *Sentent. tit. vlt. §.* 2. *Quotiens*, ait, *de modo*

CAP. X. Ad huius capitis vberiorem illustrationem conferendi sunt scriptores de iudiciis Romanorum, & præcipue interpretes ad §. 33. *Instit. de action.* Ego interim in tyronum gratiam id solum annoto, plus petitionem locum tantum habuisse in actionibus stricti iuris, non vero in actionibus bonæ fidei. Ratio differentiæ est, quia in actionibus stricti iuris & actor certum quid exprimere debebat, & iudex certa formula erat circumscriptus. Si ergo actor totam suam petitionem probare non poterat, tunc eum causa cecidisse necesse est, eique deinceps agenti obsistebat exceptio rei iudicatæ. Ast in bonæ fidei iudiciis & actor petebat, & arbiter iudicare iubebatur: *quicquid alter alteri ex fide bona præstare teneretur.* Lege CICERONIS *Orationem pro Roscio Comœdo*, inprimis *cap.* 4. totum.

quarta

quartæ retinendæ quæritur, propter periculum plus petendi, officio iudicis omnibus æstimatis, quarta facienda est, quæ apud heredem maneat. Idem lib. 11. *Sentent. tit.* v. §. 3. *Compensatio debiti ex pari specie & causa dispari admittitur. Veluti si tibi pecuniam debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cætera huiusmodi, licet ex diuerso contractu, compensare, vel deducere debuit: si totum petas, plus petendo causa cadis.* Hoc etiam plus petitionis periculum a *Maiora. in Nouell. tit.* 1. perstringitur. Denique eius aperta relicta sunt vestigia in *l.* 1. *D. de Interrogat. in iu. fac.* paullo obscuriora in *l.* 36. *si pater. D. de Solutionib.*

CAP. XI.
De Statuis, imaginibusque Principum.

QVam fuerint honorum diuinorum auidi Romani Principes, multa eorum dicta factaque declarant, vt cætera omittam, vel in statuis suis imaginibusque tuendis quantum studii posuerint, ex eorum constitutionibus, fideque historica æstimemus. Eas certe in militaribus signis, vt præsentia numina coli, arasque etiamnum in castris eis poni solitas, ex TACITO *lib. Annal.* XV. *c.* 29. & 30. & VEGETIO *lib* II. *c.* 5. & 6. constat. In vrbe vero tantæ religioni ac venerationi habitas æque constat, non modo vt extrahere, rapere, violare eos, qui ad eas confugissent, easue prætulissent, sed ne conflare quidem eas ac vendere fine capitis periculo liceret. Hoc enim in maiestatis crimen, iudiciumque vocari voluere, si eorum statua imagoue consecrata venisset. *l. 6. qui statuas. D. ad Legem Iul. maiest.* Dixi, *consecrata.* Etenim non videri contra maiestatem fieri ob imagines Cæsaris nondum consecratas venditas SEVERVS & ANTONINVS rescripsere. *l.* 5. *non contrahit. in fin. D. ad Legem Iul. maiestat.* Sed & illud temperamentum additum est, vt quamquam specialiter & per se venire statuæ Principum non possent, domus tamen, vel horti, vel prædii venditioni sine discrimine accederent. *arg. l.* 24. *in modicis. D. de Contr. empt.* Quod tamen dubitatione primum non caruit. Etenim Falanio Equiti Rom. ab accusatore obiectum CORN. TACITVS *lib.* 1. *Annal. c.* 73. narrat, quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset: quamquam is Tiberii rescripto periculum effugit, quo non ideo contra religiones fieri Coss. rescripsit, quod effigies Augusti, vt alia numium simula-

mulacra, venditionibus hortorum vel domuum accederent. Iisdem quoque temporibus L. Ennium Equitem Rom. maiestatis postulatum idem auctor *lib. Annal.* III. *c.* 70. retulit, quod effigiem Principis promiscuum ad vsum argenti vertisset. Quem tamen inter reos recipi, Atteio Capitone Iureconsulto contra censente, Tiberius vetuit. Plane eo imperante in iudicium adductum quemdam, maiestatisque accusatum SVETONIVS *cap.* 58. *Tiberii* prodidit, quod statuæ Augusti caput demsisset, vt alterius imponeret: damnatoque eo, hoc genus calumniæ paullatim eo processisse, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. Vnde SENECA *libro tertio de Benef. c.* 26. narrat, Tiberio imperante Prætorium quemdam virum in annulo insculptam Cæsaris imaginem habentem, cum matellam sumsisset, maiestatis postulatum, quod imaginem obscœnis admouisset. Cæterum cum improbi passim homines imaginibus Cæsarum sine causa prælatis statuisque adprehensis inuidiam aduersariis concitarent, Senatusconsulto prohibitum fuit, ne quis in alterius iniuriam ad statuas Principum confugeret, imaginesue eorum portaret: qui secus faceret, in vincula publica mitteretur. *l.* 38. *senatusconsulto. D. de Iniur. l.* 28. *capitalium.* §. 7. *ad statuas. D. de Pœn.*

CAP. XII.

De Viarum curatoribus.

INterdictum, quod de via publica proponitur, ad vias tantum rusticas, non etiam ad vrbicas pertinere, VLPIANVS docens,

CAP. XII Ad hocce caput omnino conferendus est Tractatus eruditissimus V. *Excell. Euerb. Ottonis*, *de tutela viarum publicarum*, qui prodiit *Vltraiecti* 1731. in 8*uo*. Præterea vero legi mereretur Fragmentum legis antiquæ de cura viarum, quod nuper edidit, & doctissimis suis annotationibus illustrauit *V. Cel. Franc. Carol Conradi*, in *Parergis Part.* III. *num.* 3. ex quibus ea, quæ ab auctore vel nimis breuiter, vel minus accurate posita sunt, facile suppleri emendariue possunt. Interim tamen nos quoque, in tyronum præcipue gratiam, totam rem breuiter veluti in tabula proponemus. Quum Ædiles essent curatores vrbis, illisque tota vrbs tuenda esset commissa: (iuxta CICERONEM *lib.* III. *de legibus*, *cap.* 3. & *Accusat. in Verr. lib.* V. *cap.* 14.) non mirum sane, si & viarum cura ad illos pertineret. Et quod ad vias quidem purgandas, a sordibus aliisque impedimentis liberandas attinet, nemo id ad Ædiles pertinuisse negabit: de cura

hanc rationem subiecit: *Harum enim cura pertinet ad magistratus. l. 2. §. 24. hoc interdictum. D. Ne quid in loco pub.* verum, ad quos magistratus, tractandum est. Nam & eo VENVLEII locus explicabitur, in quo, Nouam cloacam eum demum concedere debere ait, cui publicarum viarum cura sit. *l. vlt. D. de Cloac.* Curam autem viarum ad Ædilium officium pertinuisse, vel edictum Ædilicium in Pandectis relatum docet: quo edicebatur, ne quis animal aliquod, qua vulgo iter fieret, ita haberet, vt nocere cuiquam damnumue dare posset. *l. 40. hi enim. l. 42. qua vulgo. D. de Ædilic. ed.* Comprobatur & eo quod alias legitur, lectos, quod in via positi essent, Ædilem concidisse. *l. 12. lectos. D. de Peric. & com.* Manifestius vero lege PAPINIANI Græca, quæ sub *tit. de via publ.* posita est, id ipsum ostenditur, ex eoque quod DION. *lib.* LIX. *pag.* 649. & TRANQVILLVS *in Vespasian. cap.* V. narrant, Caii Caligulæ iussu Flauii Vespasiani Ædilitatem gerentis vestem luto oppletam ac respersam, propter curam verrendis viis non adhibitam, quarum ad eum ex officio purgatio pertinebat. Erant & viarum curatores, quorum PAVLVS *lib.* V. *Sentent. tit.* VI. §. vero muniendarum & sternendarum viarum, num ea ad Ædilium quoque officium pertinuerit, dubitarunt nonnulli, qui hanc potius ad Censores pertinuisse putarunt. Sed & hanc curam ordinarie ad quatuor Ædiles, secundum quatuor vrbis regiones, quas inter se sortiebantur, pertinuisse, luculenter ex Fragmento legis antiquæ docuit laudatus *Conradi.* Ordinaria ergo & quotidiana munitio & refectio viarum omnino ad Ædiles pertinuit. Censores vero, quando in republica erant, vias etiam sternendas, muniendas & reficiendas locabant, eodem modo, quo alia opera publica, quorum tutela ordinarie alias ad Ædiles pertineret.

Quemadmodum vero maiores magistratus plerumque minores, tanquam administros, adiunctos habere solebant: ita quoque in hac viarum cura Ædilibus olim adiuncti erant *Quatuoruiri viarum curandarum intra vrbem*, & *Duumuiri extra vrbem*: de quibus Viri laudati sufficienter egerunt. Ad hosce pertinent loca POMPONII & DIONIS ab auctore adducta: & hi iidem sunt, quos VARRO vocat *Viocuros*, non tantum *lib.* IV. *de lingua Lat. cap.* 1. *pag.* 6. sed &, si *Scaligeri* emendatio in *Coniectaneis pag.* 65. recte se habet, *lib. eod. cap.* 32. *pag.* 38.

Præterea vero tempore liberæ reipubl. magnæ illæ extra vrbem viæ militares peculiares Curatores extra ordinem, ex consularibus plerumque viris, accipere solebant. Postea vero Augustus, rerum potitus, ipse viarum, quæ sunt circa Romam, curator constitutus, prætorios viros, qui binis lictoribus vterentur, ad vias muniendas constituit, teste DIONE CASS. *lib.* LIV. *pag.* 526. De hisce Curatoribus viarum, (ad quos loca PAVLI, SVETONII & CAPITOLINI ab auctore adducta pertinent) præter Viros laudatos conferri meretur *Iust. Lipsius* in *Excurs.* ad TACITVM *Annal. lib.* III. *lit.* B.

a. me-

a. meminit: qui composito nomine *Viocuri* dicebantur, quod vocabulum apud VARRONEM *lib.* IV. *de Lingua Lat. c.* I. *p.* 6. reperitur. Plane a P. VICTORE curatores duo vnicuique vrbis regioni adsignantur. Atque inter noua officia ab Augusto excogitata etiam viarum curationem SVETONIVS *in eius vita c.* 37. numerat. CAPITOLINVS*que in vita M. Anton. cap.* II. his curatoribus potestatem a M. Antonino philosopho datam memorat, vti punirent, quos videretur, aut puniendos ad præfectum vrbi remitterent. Antea quoque Quatuoruiros, qui viarum curam gererent, in Republ. constitutos POMPONIVS in *l.* 2. §. 30. *D. de Orig. iur.* scribit. Hi sunt, qui a DIONE *lib.* LIV. *p.* 540. οἱ τέσσαρες τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι, *quatuor intra vrbem viarum curatores* appellantur. De quibus & illæ Antiquitatis inscriptiones accipiendæ sunt, quæ Vrbini & Tiburi extant, in queis IV. Vir. viar. curan. sit mentio. Sed & Quæstoribus viarum sternendarum muniendarumque curam mandatam fuisse inuenio. Hoc TRANQVILLVS *in Claud. cap.* 24. demonstrat. *Collegio*, ait, *Quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus iniunxit.* AVGVSTVM denique, idem auctor scribit, *cap.* 30. spatium vrbis in regiones vicosque diuisisse, instituisseque, vt illas annui magistratus sortito tuerentur; hos magistri e plebe viciniæ cuiusque electi, quos Vicomagistros P. VICTOR vocat.

QVAESTORIBVS] Sed hoc non ita intelligendum, ac si cura hæc ordinarie ad Quæstores quoque pertinuerit: verum candidati quæstorii per talem liberalitatem aditum sibi ad honores parabant, vt recte locum hunc explicauit *Cel. Conradi.*

IDEM AVCTOR] De loco hocce vexatissimo SVETONII non vna eademque eruditis sedet sententia. Ego auctorem hunc explicandum esse existimo ex DIONE CASS. *lib.* LV. *pag.* 554. nam accuratius vtrumque locum mihi intuenti, tam similes esse videntur, vt ouum ouo similius esse nequeat. Quemadmodum ergo vicis præerant Vicorum magistri: ita vnicuique vrbis regioni sorte vnus ex magistratibus ordinariis præpositus fuit: hique fuerunt Curatores regionum vrbis: quos postea quatuordecim peculiares ex viris consularibus creauit *Alexander seuerus*, teste LAMPRIDIO in eius vita, *cap.* 33. Deinceps vero, vt ex VICTORIS ab auctore supra adducto loco patet, vnicuique regioni duo Curatores præpositi fuerunt: quod quando factum sit, incertum est. Vtrum vero hi Curatores regionum tutelam etiam viarum in vrbe habuerint, id aliis excutiendum relinquo.

CAP. XIII.
De Decurionibus.

MVlta de decurionibus Antiquitatis ſtudioſis non ignoranda libris noſtris continentur. Ea quam potero breuiſſime complectar. Decuriones publici conſilii cauſa, quod & origo nominis ab VLPIANO in *l.* 239. *pupillus.* §. 5. *decuriones. D. de Verbor. ſignificat.* expoſita indicat, in municipiis coloniisque conſcribebantur: erantque ſuæ curiæ quaſi Senatores. *l.* 33. *omnes. C. de Decurionib. lib.* x. vnde & βȣλευταὶ Græcis appellantur. Ex his magiſtratus, id eſt Duumuiri, Ædiles, &, vt in aliquibus municipiis, Dictatores prætoresque creabantur. Nec vero aliis, quam qui ex ordine decurionum eſſent, honores municipiorum mandabantur. *l.* 7. *honores.* §. *penult. D. de Decurionib.* Per eoſdem omnia ciuitatum munera explicabantur. Nam & pecuniam publicam tractabant, erogandam decernebant, annona vti ciuitati ſupereſſet, prouidebant, curatoresque frumenti, olei comparandi, vel operum publicorum, aut alterius negotii Reipubl. cauſa, nec non legatos, & ſyndicos, & tutores periculo ſuo conſtituebant: tributa quoque, cenſus, legata Reipubl. relicta eorum vigilantia ac ſollicitudine exigebantur, omniumque in vniuerſum, quæ ciuitatis adminiſtrationem reſpicerent, eis onus imponebatur. *l.* 2. §. 1. *cum ſeq. l.* 8. *non debere. l.* 17. *libertus.* §. 7. *exigendi. l.* 21. *Lucius. & l. vlt.* §. 2. *Imperatores. D. ad Municipal. l.* 30. *ex facto. D. de Negot. geſt. l.* 5. *decuriones. D. de Admin. rer. ad ciuit. pert.* Atque ita curiæ nexibus obſtricti erant, vt militia eis, *l.* 38. *ne quis officialium. l.* 51. *quamuis. l.* 55. *ſi quis decurio. C. de Decurionib. lib.* x. & vectigalium publicorum, alienarumque quarumlibet rerum conductione, procurationeque interdiceretur. *l.* 2. §. 1. *D. de adminiſtr. rer. ad ciuit. pert. l.* 6. *ſpurii.* §. 2. *decurio. D. de Decurion. l.* 30. *curialis. C. Locat.* videlicet ne alienorum negotiorum cura a ſuo munere auocarentur. Quæ omnia ex Impp. con-

CAP. XIII. De Decurionibus agere ſolent ſcriptores, qui de magiſtratibus municipalibus aliquid ſcriptis mandarunt: quorum recentiſſimus & accuratiſſimus *V. Excell. Euerh. Otto*, cuius ſcripta huc ſpectantia iam ſupra laudaui, *lib.* III. *cap.* 10. Conferri quoque poſſunt interpretes ad *tit. Cod. Theod.* & *Iuſtin.* nec non ad *tit. Pand. de Decurionibus:* & præterea *Emund. Merillii Obſeruatt. lib.* VII. *cap.* 26 *Ill. Heineccii Synt. Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* 10. §. 14. & *App. ad lib.* I. *cap.* 5. §. 123. *Fontanini Antiqq. Hort. lib.* I. *cap.* 3.

AVOCARENTVR] Immo po- ſtitu-

ftitutionibus defcendunt. Nam de vectigalibus quidem, vt ne ea decurionibus per fe, vel per fubiectam perfonam, exercere liceret, ab Hadriano conftitutum XIPHILIN. *lib.* LXIX. *pag.* 795. ita fcribit: ἐνομοθέτησε ἄλλα τε πολλά, καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς μήτ' αὐτὸς μή τε δι' ἑτέρου τέλος τι μισθῶται. *Multas & alias leges fanxit, & inprimis, ne fenator per fe, neue per alium, vectigalia conduceret.* Reliquorum auctores obfcuri non funt. Tot vero muneribus obnoxii decuriones cum effent, mirum videri non debet, fi curiam, quoad poffet, quifque defugeret, adeo vt pœnæ loco Chriftiani ab impiis Principibus curiis addicerentur: quemadmodum CASSIODORVS *Trip. hift. lib.* I. *cap.* 9. & *lib.* VI. *cap.* 7. & *lib.* VII. *cap. vlt.* teftatur. Pro quibus tantis oneribus, decurionibus prærogatiua data fuit, vt a plebeiis in pœnis fepararentur. Nam neque fuftibus, neq; quæftioni fubiici, *l.* 5. *decuriones. C. Ex quib. cauf. inf. l.* 16. *decuriones. C. de Quæftionib.* neq; in metallum, vel in opus metalli damnari, vel furcæ figi, vel ad beftias, aut in opus publicum dari, vel viui exuri poterant: & fi forte huiufmodi fententia adfecti effent, auctoritate principis liberabantur. *l.* 9. *moris.* §. 11. *ifta fere. l.* 28. *capital.* §. 5. & *general. D. de Pœn. l.* 3. *D. de Veteran.* Et generaliter capite puniri eos Diuus Hadrianus prohibuit. *l.* 15. *diuus. D. de Pœn.* 5. Quinimmo ne leuiores quidem pœnæ iis a præfidibus prouinciarum iure irrogabantur: fed fi capitale quid admififfent, in carcerem duntaxat eos diligentioris cuftodiæ cau-

tius, quia & ratione perfonæ, & ratione facultatum, curiæ in totum obligati & addicti erant, vt quodammodo effent adfcriptitiæ conditionis. Vide L. 50. 54. 60. 64. 66. *C. de decur.* it. *Tit Cod de prædiis decurionum:* & *fi curialis relicta ciuit.* Adde SYNESIVM *Epiftol.* 93.

ADDICERENTVR] Immo & alios interdum ob delictum pœnæ loco curiæ mancipatos fuiffe, ex *Nouell* 123. ex L. 1. & 7. *C. Theod. de filiis milit appar. & veteran.* & ex L. 4. *C. Theod. de tyron.* annotauit *Ægid. Menagius* in *Amœnit. Iur. Ciu. cap.* 3. *pag.* 15. *ed. Francof.* Legimus tamen interdum etiam quosdam honoris caufa, & in præmium, decurionibus fuiffe adfcriptos. Cuius rei exemplum vide apud CICERONEM in *Orat. pro Cælio*, *cap.* 11. Immo huius quoque honoris fpem fecit Centurionibus fuis Auguftus, tefte DIONE CASSIO *lib.* XLIX. *pag.* 400. Sed hi forfan dignitatis tantum, fine onere, participes facti funt: quod tamen non definio. Dignitas certe & honos decurionatus fæpe in iure noftro vocatur. (vid. *ex. gr. L.* 6. & 14. *D. de decur. L.* 5. *D. de vacat.*) Et ordo decurionum, non fecus ac fenatus Romanus, ordo ampliffimus, fplendidiffimus & fanctiffimus paffim in Infcriptionibus appellatur. Cæterum cur chriftiani inprimis a curiæ iftis muneribus & honoribus tantopere abhorruerint, exponit *Excell. Otto* in libro doctiffimo *de Ædilibus Colon. & Munic.* cap. X. §. 6. *feqq.*

T 3 fare-

sr;aecipere, vinctosque custodire licebat: ac deinde de eorum pœna Imperatori scribendum erat, vt si relegandi extra prouinciam in insulam essent, vel alia pœna grauiore adficiendi, Princeps ipse re cognita statueret. Quod & mandatis cauebatur. *l. 27. diui. §. 1. D. de Pœn. l. 6. si quis filio. §. 7. eius. D. de Iniusto rupt. l. 1. §. 1. D. Quando appellan. sit.* Atque hunc honorem non ipsorum tantum decurionum personæ, sed & parentibus liberisque eorum habitum, superiores loci declarant. Ad hæc ab extraordinariis omnibus muneribus decuriones immunes erant, *l. 21. curiales. C. de Decurionib.* Quinetiam ne curiæ inopia ciuium desererentur, a Theodosio primum constitutum, a sequentibus deinde Imperatoribus confirmatum est, vti naturales filii curiæ oblati legitimi fierent, suorumque heredum iura nanciscerentur. *l. 3. si quis. l. 4. quoniam. C. de Naturalib. liber. §. 2. quibus connumerari. Institut. de heredit. quæ ab intest. Nou.* LXXXIX. *quib. mod. natur. efficiant. sui.*

CAP. XIV.

Explicata l. 32. abesse. D. Ex quibus cau. maior. particula.

PAndectas Antiquitatis promtuarium merito quis appellet. Semper enim obseruatione dignum aliquid accurata earum lectio suppeditat. Quale illud est quod in *l. 32. abesse. D. Ex quib. causis maior.* legitur, abesse Reipubl. causa intelligi Tribunos militum & comites legatorum, qui ad ærarium delati, aut in commentarium Principis delati sunt. Ex quo intelligimus comitum, eorumque, qui magistratibus, vel proconsulibus, aut legatis ministrabant, quibus e publico salaria præstabantur, nomina ad ærarium olim delata fuisse. Quod Senatusconsulti de curatoribus aquarum facti verba a FRONTINO *libro secundo de Aquæductib.* relata demonstrant. Ea sic habent: *Vtique quibus apparitoribus ex hoc Senatusconsulto curatoribus aquarum vti liceret, in diebus* X. *proximis, quibus Senatusconsult. factum esset, ad ærarium deferrentur, quique ita delati essent, iis Prætores ærarii mercedes, cibaria, quanta præfecti frumento danda dare deferreque solent, annua darent, & attribuerent.*

NANCISCERENTVR] De quo & interpretes ad *tit. de legitimatione.* legitimationis modo plura disserunt ICti

CAP.

CAP XV.

Expositum Tabernæ Casenriæ verbum in Aristonis responso.

ARisto Cerellio Vitali respondisse dicitur, non putare se ex taberna casearia fumum in superiora ædificia iure immitti posse, nisi eius rei seruitutem talem admittat. *l. 8. sicuti.* §. 5. *Aristo. D. si Seruit. vindic.* Immittendi enim fumi vtiliter cedi & constitui seruitutem non dubium est: sed eius in taberna casearia quis vsus fuerit, non assequetur, nisi qui ex antiquitate veterem caseorum fumigandorum morem repetierit. Quem PLINIVS *lib.* XI. *cap.* XLII. comprobat. *At caprarum*, ait, *gregibus sua laus est in recenti maxime, augente gratiam fumo, qualis in ipsa vrbe conficitur cunctis præferendus.* MARTIALIS *Xeniis. lib.* XIII. *Ep.* 32.

Non quemcumque focum, nec fumum caseus omnem;
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Credebantur autem gratioris & suauioris gustus esse casei fumo infuscati.

CAP. XVI.

Coniunctam olim fuisse Iuris diuini & humani scientiam.

RIdiculum videtur nonnullis Iurisprudentiam rerum diuinarum & humanarum notitiam ab VLPIANO definiri, quod existi- ment,

DEFINIRI] Ad huius definitionis meliorem intelligentiam, notandum est: Omnium rerum, tum diuinarum, tum humanarum, cognitionem, quatenus vel de earum natura, vel de earum moralitate quærebatur, secundum veterum doctrinam, ad Philosophiam pertinuisse: huius vero partem illos Iurisprudentiam quoque censuisse, quatenus nimirum de rei iustitia, vel iniustitia quæstio erat; non distinguentes scilicet iurisprudentiam naturalem & ciuilem. Vid. CICERO *de legibus lib.* I. *cap.* 5. *seq.* & *de Oratore lib.* I. *cap.* 43. PLINIVS *lib.* I. *Epistol.* 10. *L.* 1. §. 1. *D. de iust. & iure.* Et confer *Ill. Heineccii Elem. Iur. Ciu. sec. ord. Inst.* §. 25. & *sec. ord. Pand. Part.* I. §. 18. eiusque *Synt. Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* I. Vberiora vero huc spectantia reperies in *V. Excell. Euerh. Ottonis Oratt.* II. vna *de stoica veterum ICtorum Philosophia*; altera *de vera non simulata ICtorum Philosophia.* Nec non in *V. Cel. Corn. van Eck Orat. de religione & pietate veterum ICtorum*: quæ tres orationes elegantissimæ iunctim editæ sunt a *Gottl. Slevogt*, inter Opuscula *de sectis & Philosophia ICtorum*, *Ienæ* 1714. 8vo.

ment, rerum diuinarum cognitionem nihil cum iuris ciuilis ſcientia commune habere. Atqui ex veteribus memoriis certiſſimum eſt, in vtriuſque cognitionis facultate conſultos pares fuiſſe, tenuiſſeque & edocuiſſe eos, quibus hoſtiis, quibus diebus, quo ritu, ad quæ templa ſacra facienda eſſent, quæ ſepulchrorum monumentorumque iura, quæ iuſtorum funebrium ſollemnia eſſent. Quæ ad ius publicum & diuinum referebantur omnia, cuius peritia æque priſcos prudentes atque humani iuris cognitione commendari video. Sic enim de SCAEVOLA VALERIVS MAX. *lib.* VIII. *cap.* 8. *ex.* 2. *Cum bene ac diu iura ciuium & cerimonias Deorum ordinaſſet.* Idemque *Titum Manlium Torquatum* iuris ciuilis & ſacrorum Pontificalium peritiſſimum *lib.* V. *cap.* 8. *ex.* 3. appellat. Eadem laus etiam *Ateio Capitoni* a CORN. TACITO *lib.* III. *Annal.* *c.* 70. tribuitur. *Ateii*, ait, *Capitonis inſignior infamia fuit; quod humani, diuinique iuris ſciens, egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtauiſſet.* Eundem MACROBIVS pontificii iuris inter primos peritum *lib.* VII. *cap.* 13. vocat. Quod nos certius intelligeremus, ſi quos reliquiſſe eum iuris pontificii libros GELLIVS *lib.* IV. *cap.* 6. & FESTVS *lib.* XI. *v. mundus.* teſtantur, in manibus haberemus. Nec Capitoni *Labeo* in hac re conceſſit, cuius etiam de iure pontificio commentarii FESTI POMPEII, CHARISIIque SOSIPATRI teſtimoniis poſteritati commendantur. Huius quoque iuris peritia *Cocceium Neruam* TACITVS *lib. Annal.* VI. *c.* 26. ornat. *Haud multo poſt*, inquiens, *Cocceius Nerua continuus principis, omnis diuini humanique iuris ſciens, integro ſtatu, corpore inlaeſo, moriendi conſilium cepit.* Sed nec *Maſſurium Sabinum* huius iuris ignarum fuiſſe argumento eſt, quod eius auctoritate GELLIVS *lib.* X. *cap.* 15. in explanandis flaminum cerimoniis vtitur. Denique pontificium ius ciuili coniunctum eſſe, CICERO *in Brut. c.* 42. & *in lib.* III. *de leg.* oſtendit. Noſtri etiam auctores iuris ciuilis alteram ſpeciem in ſacris & ſacerdotibus conſiſtere ſtatuunt: vnde perſpicuum fit rerum diuinarum ſcientiam ad Iuris-

COMMENTARII] Laudantur ſæpe numero a FESTO, cuius loca facile ope *Indicis auctorum* inueniri poſſunt.

LIB. III. DE LEG] Puto auctorem intelligere locum *lib.* II. *de Legibus, c.* 18. *ſeqq.* Adde locum elegantem in *lib.* III. *de Orat. cap.* 33.

CIVILIS] Non ciuilis in ſpecie: ſed iuris in genere: quippe quod vel publicum, vel priuatum. Publicum ius in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtebat. Priuatum ius erat vel naturale, vel gentium, vel ciuile. Ita veteres philoſophati ſunt. Vid. §. 4.

pruden-

prudentiam olim pertinuisse, nec vero aliter omni laude cumulatum Iurisconsultum extitisse, quam si omnia & humana & diuina iura scientia cognitioneque complexus fuisset.

CAP. XVII.

De Mastigophoris ad l. vlt. D. de Muneribus & honoribus.

AGonothetas, qui certaminibus præsidebant, mastigophori quidam, qui virgis insolentiam certatorum spectatorumque coercerent, comitabantur. Hoc ARCADIVS CHARISIVS in *l. vlt.* §. 17. *D. de Muner. & bono.* disertis verbis expressit. Comprobat & XIPHILINVS *in Nerone lib.* LXIII. *p.* 719. Καὶ τοι πῶς ἄν τις καὶ ἀκȣ́σαι, μὴ ὅτι ἰδεῖν, ὑπομείνειεν Αυτοκράτορα Ἄυγȣςον ἔς τε τὸ λεύκωμα ἐν τοῖς ἀγωνιςαῖς ἐγγραφόμενον, καὶ τὴν φωνὴν ἀσκȣ̃ντα,— τȣ̀ς ἀντιπάλȣς ὑποβλέποντα, καὶ ἀεί τι πρὸς αὐτȣ̀ς μετ ἀψιμαχίας λέγοντα, τȣ̀ς ἀγωνοθέτας, τȣ́ς τε μαςιγοφόρȣς φοβȣ́μενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἅπασιν ἀναλίσκοντα, μὴ καὶ ἐλεγχθεὶς μαςιγωθῇ. *Etsi quis audire, nedum videre æquo animo possit, Imperatorem Augustum in albo athletarum inscribi, vocem exercere, — — — torue adspicere aduersarios, eisque semper per rixam maledicere, præfectos certaminum & flagelliferos pertimescere, iisque clam pecuniam largiri, ne deprehensus flagello cæderetur.* Id ipsum obscurius idem auctor in *Heliogabalo* indicat: ἀγωνοθέτην δὲ ἢ τῶν ἐξελευθέρων τινὰ, ἢ τῶν ἄλλων τῶν πλȣσίων ἐκάθιζεν, ἵνα καὶ ἐν τȣ́τῳ ἀναλίσκηται. προσεκύνει τε αὐτȣ̀ς κάτωθεν τῇ μάςιγι, καὶ χρυσȣ̃ς, ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει. *Præficiebat autem certaminibus vnum ex libertis cæ-*

Inst. de iust. & iure. L. 1. §. 2. *D. cod.* & confer *Ill. Heinecc. Elem. Iur. Ciu. sec. ord. Pand* Part. I. §. 8. *seqq*

COMPLEXVS FVISSET] Quemadmodum enim neminem bonum esse pontificem statuebant, nisi qui ius ciuile cognosset: ita neminem quoque perfectum ICtum esse existimarunt, nisi qui & iure pontificio probe esset instructus: idque ob arctissimam iuris diuini & humani connexionem. Vid. CICERO *de Legibus lib.* II. *cap.* 18. *seqq.* aliaque loca antea indicata: & confer auctorem nostrum supra *lib.* I. *c.* 20. quæque ibi annotauimus.

CAP. XVII. Ad hoc caput melius intelligendum conferendi sunt scriptores antiquitatum Græcarum, illi inprimis, qui *de agonibus* scripserunt. De agonothetis quædam etiam obseruata inuenies in Auctoris Opere *de Verb. Signif. h. v.*

HELIOGABALO] Non in *Heliogabalo*: sed in *Antonini Caracallæ* vita, *lib.* LXXVII. *p.* 874.

terisue locupletibus, vt in ea magnos sumtus facerent, eosque venerabatur inferius, ipso cum flagello, atque aureos ab eis, quasi homo abiectissimus petebat. In certaminibus sacris etiam mastigophoros POLLVX ponit *ad fin. lib.* III. *cap.* 30. his verbis: ἐκ δὲ τῶν ὀνομαστικῶν ἀγώνων καὶ ὁ μαστιγονόμος, καὶ ὁ ῥαβδοῦχος, καὶ ὁ ῥάβδῳ κοσμῶν, φησὶν ὁ Πλάτων· Ξενοφῶν δὲ καὶ μαστιγοφόρον που λέγει. *E certaminum quoque nominibus sunt: lictor, apparitor, quem virga ornatum Plato vocat: Xenophon vero alicubi flagelliferum dicit.* Quin & SVIDAS: ἦσαν ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόρους τινὰς πρὸς εὐταξίαν τῶν θεατῶν, *in certaminibus flagelliferos quosdam, qui bonum ordinem inter spectatores conseruarent, fuisse* tradit.

CAP. XVIII.

In Horrea quae res olim reconderentur.

HOrrea in vrbe Roma permulta fuisse ex PVB. VICTORIS *de Region vrb. Rom.* libello intelligimus. Ea non frumentaria duntaxat, quod vulgo creditur, sed & vinaria fuisse ostendit *l.* 7. *tabernam. D. de inst. & instr.*, Nec obscure significant Impp. qui vinum in horreis positum venisse narrant in *l.* 2. *C. de peric. & com.* quamquam vini cellas frequentius apothecas appellari non me fugit. Sed & mercium, instrumentorum, pignorum, rerumque omnium mobilium custodiae horrea attribuebantur. *l.* 74. *clauibus. D. de Contrab. emptio. & l.* 19. *heres absens.* §. 2. *proinde. in fin. D. de iudic. l.* 21. *vulgaris.* §. 6. *certe si proponas. D. de furt. l.* 6. *pr. si quis ex argentariis. D. de eden. l.* 9. *pignus. C. de pignor. act. l.* 12. *quaesitum* §. 39. 40. *idem respondit. D. de instr. & instrum.* In qua melius vt opinor, vulgati codices, quam Pisani, scriptum habent, mensas & caeteram supellectilem *in horrea* patrem familias contulisse, vt tutiore loco essent. Nam *in hortis*, quemadmodum Flo-

HIS VERBIS] Initium huius loci varie legitur: in nouissima editione *Amstel.* 1706. *fol.* ita emendatum exhibetur: ἐκ δὲ τῶν ἀγωνιστικῶν ὀνομάτων.

INTELLIGIMVS] Nam Alexander Imperator horrea in omnibus vrbis regionibus publica fecit, ad quae conferrent bona ii, qui priuatas custodias non haberent, teste LAMPRIDIO in eius vita, *cap.* 39. vbi frustra auctoris huius fidem sollicitat *Salmasius in notis*: non enim dicit ille, Alexandrum primum omnino horrea publica instituisse: sed id tantum, eum in singulis regionibus horrea publica fecisse: vti iam antea locum hunc recte interpretatus erat *Casaubonus* in suis annotationibus.

ren-

rentinus codex habet, ſecurioris cuſtodiæ cauſa ſupellectilem recluſam veriſimile non eſt, cum amœnitatis tantum cauſa in hortis ædificia, furtis & ipſa obnoxia ponerentur. Ex contrario vero horreis, tutioris cuſtodiæ gratia, vt vel pretioſa quæque conderentur, præter ſuperiores locos, etiam confirmant *l.* 20. *Seiæ.* §. *pen. D. de inſtr. & inſtrum. leg. l.* 32. *pediculis.* §. 4. *idem cum quæreretur. D. de Auro & arg. legat. & l.* 84. *cui quæ Rom. D. de Leg. lib.* III. *l.* 60. *cum in plures.* §. *vlt. D. locat.* in tantum, vt pretioſiſſimam fortunarum ſuarum partem in ea Romani reponerent. *l.* 3. §. 2. *effracturæ. D. de Offic. præf. vigil.* Hinc illud in *l.* 30. *in ratione* §. 4. *D. ad legem Falcid. Pondus argenti, quod in horreis habeo.* & in *l.* 32. *pediculis.* §. 4. *idem cum quæreretur. D. de auro arg. Argentum quod in domo, vel intra horreum fuerit.* APVLEIVS *lib.* III. *de Aſino aur. Tunc horreum quoddam ſatis validis clauſtris obſeptum, obſeratumque, quod mediis ædibus conſtitutum, gazis Milonis fuerat refertum, ſecuribus validis aggreſſi diffindunt.* Atque hac de cauſa effracturæ periculo horrea ſubiacebant, quemadmodum ex *d.* §. 2. *effracturæ. & ex l.* 1. *&* 4. *C. loca. & l.* 55. *dominus. D. eo tit.* liquido apparet.

CAP. XIX.

Quod honori veteres ducebant morientium Teſtamentis ſibi aliquid relinqui.

NEſcio, an hoc leuioris operæ videbitur, ſed tamen quod ad commendationes morientium pertineat, non prætermittendum, veteres honori duxiſſe, ſi quantumlibet modicum ſibi ſupremo morientium iudicio relinqueretur. Ex quo VLPIANVS in *l.* 3. §. 2. *D. de legat. præſt. Hoc autem ſolum debetur, quod ipſis parentibus relictum eſt & liberis. Cæterum ſi ſeruo eorum fuerit adſcriptum, vel ſubiectæ eorum iuri perſonæ, non debetur.* *Nec enim*

RELINQVERETVR.] Hereditates enim & legata non niſi merentibus dari ſolebant, vt auctor noſter annotauit, in Opere de *Form. Solenn. lib.* VII. *pag.* 603. Vnde etiam plerumque elogia adſcribebantur: cuius exempla videre licet apud auctorem *l. c. pag.* 592. *ſeq.* Hinc de Auguſto narrat SVETONIVS in eius vita, *cap.* 66. *Amicorum ſuprema iudicia moroſiſſime penſitauit: neque dolore diſſimulato, ſi parcius, aut citra honorem verborum: neque gaudio, ſi grate pieque quis ſe proſecutus fuiſſet.*

quærimus, cui adquiratur, sed cui honor habitus sit. Idem quoque id testatur *l. 51. sed & si suscepit. §. 2. sed etsi proponas. D. de iudic.* CICERO *pro Quintio c. 4. Moritur in Gallia, & moritur repentino: heredem testamento reliquit hunc Quintium, vt ad quem summus mæror morte veniebat, ad eundem summus bonor quoque perueniret.* Idem *pro Cæcinna cap. 4. Vsum fructum omnium suorum bonorum Coponiæ legauit, vt frueretur vna cum filio. Magnus bonor viri iucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset.* QVINTILIANVS MAIOR *in Declamat. Institutus es primo loco heres. Non facio tibi istius honoris controuersiam.* VALERIVS *lib. VII. c. 7. Consideremus, quæ testamenta aut rescissa sunt legitime facta, aut cum merito rescindi possent, rata manserunt: quæue ad alios, quam qui expectabant, honorem hereditatis transtulerunt.* Per contrarium autem iniuriosum atque turpe putabatur amicorum parentumue testamento præteriri. Exheredationem certe filii, iniuriam PAPINIANVS appellat, *in l. 8. Papinianus. D. de inoffic. test.* & propri loco *Antonio* CICERO obiicit, quod ex amicorum testamentis nullas accepisset heredirates.

CAP. XX.
De Legis actionibus.

LEgis actio quo sensu in Iureconsultorum libris accipienda sit, haud facile ex cuiusquam commentariis intelligas. Nec enim probanda nonnullorum opinio est, qui legis actionem, BOETHIO *ad Topic. Cicer. lib.* III. auctore, cessionem in iure interpretantur: cum secundum hanc sententiam, actionibus, emancipationibus, adoptionibus, manumissionibusque, quas in legis actionibus veteres numerant, nomen ipsum accommodari non possit. Quam-

PRAETERIRI] Et multo magis nominatim exheredari: quod & plerumque non sine verborum contumelia fiebat. Vide auctoris nostri opus laudatum, *pag. 604. seqq.*

HEREDITATES] Immo potius CICERO, quum *Antonius* hoc ei obiecisset, probrum hoc diluere tentat in *Philipp. II. cap. 15.*

CAP. XX. Ad hocce caput melius intelligendum, vtiliter legi poterit *Tractatio mea de Testamentif. cap. III. §. 19.* vbi hanc doctrinam breuiter & distincte proposui. Confer etiam *Ill. Heineccii Synt. Antiqq Rom. Proem. §. 6.* vbi plures scriptores laudatos inuenies.

INTERPRETANTVR] Cessio in iure fuit tantum species quædam legis actionis. Vide *Schultingii Iurispr. anteiust. pag. 85. seq.*

ob-

obrem rectius est dicere, appellationem istam ad sollemnes ex lege descendentes actus pertinuisse, vt legis actio apud eos esse diceretur, apud quos huiusmodi sollemnitates peragi explicarique poterant. Hoc vt planum faciam, simul etiam ostendam necesse est, verbi *lege agere* significationem latius quam vulgo existimetur, manare: nec tantum ex veterum sermone lege actum cum actio instituebatur, sed & cum adoptio, emancipatio, manumissioque imperio magistratus fieret. De iudiciali plane persecutione CICERONIS *loca*, quæ subieci, intelligenda sunt. Veluti *lib.* I. *de Orato. c.* 10. *Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici.* Et alias *lib. eod. c.* 36. *Alter plus lege agendo petebat, quam quantum in* XII. *Tabb. lex permiserat.* Idem *pro Cæcinna, c.* 33. *Omnes qui in eadem causa sunt, & lege agant, & ius suum persequantur.* Eodem sensu III. *in Verr. oratio. f. Accus. in Verr. lib.* I. *c.* 45. lege agere in hereditatem: quo genere dicendi VALERIVS quoque MAX. *lib.* VII. *tit.* 7. *ex* 5. & PLINIVS *lib.* VII. *cap.* 5. vsi sunt. Sic & GELLIVS *lib.* XX. *cap.* 19. *Cum lege agitur*, inquit, *& vindiciæ contenduntur.* Ac ne plura, quæ sunt prope innumerabilia, consecter, ex XII. Tabb. compositas actiones, quas certas & sollemnes prudentes constituerunt, *legis actiones*, id est *legitimas actiones* appellatas, POMPONIVS auctor est in *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Generalius vero hoc verbum accipitur apud OVIDIVM *in Fastis*, *lib.* I. *v.* 48. & MACROBIVM *lib.* I. *Saturn. c.* 16. cum fastos dies definiunt, quibus lege licet agi: & apud FESTVM. *lib.* XVI. *v. religiosus.* cum religiosis diebus nefas fuisse ait apud Prætorem lege agere: & apud CICERONEM IV. *in Verr. orat. f. Accusat. in Verr. lib.* II. *cap.* 16. illo loco: *Quis apud istum Prætorem Chelidonia inuita lege agere potuit?* Sic & apud VARRONEM *lib.* V. *de lingua Lat. c.* 4. *p.* 5. *Contrarii*, ait, *horum vocantur dies Nefasti, per quos dies fari Præ-*

ACTVS PERTINVISSE] Tam voluntariæ, quam contentiosæ iurisdictionis, vt hodie practici loquuntur.

MANARE] Immo in latissimo significatu & lictor *lege agere* iubebatur. Vide auctoris Opus de *Form. Solemn. lib.* V. *pag.* 482.

MAGISTRATVS FIERET] Immo actus hi voluntariæ iurisdictionis sæpe κατ' ἐξοχὴν *legis actiones* vocantur. Vnde sæpe coniunguntur: *lege, vel quo alio iure agere*: (vid. VLPIANVS *Fragm. tit.* XI. §. 24 & 27.) quorum prius ad actus solennes voluntariæ iurisdictionis; posterius ad actus contentiosæ iurisdictionis pertinet. Confer *Schultingii iurispr. anteiust. pag.* 601.

torem nefas erat, DO, DICO, ADDICO. *Itaque non potest agi, quod necesse est uti aliquo eorum verbo, cum lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio.* Ita *lege agere & legitimo iudicio agere* dixit VLPIANVS *in Institut. fragment. tit. de tutel.* XI. §. 24. & 27. Sed iam apertioribus testimoniis causae iugulum prememus. TACITVS *lib.* XII. *Annal. c.* 60. *Diuus Augustus apud Equestres, qui Ægypto præsident, lege agi, decretaque eorum perinde haberi iusserat, ac si Romani magistratus essent.* Quæ verba nihil aliud significare nemo nisi stultus negabit, quam præfecto Ægypto datam esse, quemadmodum nostri auctores loquuntur, legis actionem: proindeque apud eum manumissiones seruorum, emancipationes, adoptiones, & alias id genus sollemnitates fieri permissum. Sic enim in *l.* 1. *D. de offic. iurid. Alex.* VLPIANVS ratiocinatur: *Adoptare quis apud iuridicum potest, quia data est ei legis actio.* & in *l.* 2. §. *vlt. cum. l. seq. D. de offic. proconf. Apud legatum vero proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem: nec adoptare potest, omnino enim non est apud eum legis actio.* IMPER. GORDIANVS in *l.* 1. *C. de Adoptio. Hi qui in aliena potestate sunt, iuxta ius ciuile non nisi apud eum, apud quem plena legis actio est, adoptari possunt.* MODESTINVS in *l.* 4. *magistratum. D. eo tit. Magistratum, apud quem legis actio est, emancipare filios suos, & in adoptionem dare apud se posse, Neratii sententia est.* PAVLVS *lib.* II. *Sentent. tit.* XV. § 4. *Apud magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari & manumitti potest.* Ex quibus apparet adoptiones, emancipationesque in numero legis actionum habitas: quod & IVSTINIANVS in *Nouella* LXXXI. *præfat.* scribit. Inde VOPISCVS *in Aureliano c.* 14. *Hoc igitur*, inquit, *quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Hadriano, quod Hadrianus in Antonino, & cæteri deinceps in proposita suggestione fecerunt, iam in adrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Iube igitur, vt lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum, nominis, & bonorum, totiusque iuris.* Atque hinc verus *l.* 123. *nemo alieno. D. de regul.*

VOPISCVS IN AVRELIANO] Sed hunc locum perperam ab auctore huc tractum fuisse existimo: nam in eo non sermo est de adoptione in specie sic dicta, quæ legis actio fuit: sed de arrogatione, quæ lege curiata olim peragebatur. Confer quæ dixi in *Tract.* mea de *Testamens. cap.* II. §. 17. *not.* (k) *pag.* 44.

iur.

iur. ſenſus pendet, quæ hoc meo quidem iudicio ſignificat, neminem alieno nomine legitimos actus explicare poſſe.. Nec enim adoptari, emancipariue quis abſens, nec per alium huiusmodi ſollemnitatem peragere poterat. *l.* 25. *poſt mortem.* §. *vlt. D. de adoptionib.* Sed nec alteri petere, alienumue ius in iudicium deducere mero iure licebat. Per procuratores id fieri vtilitatis cauſa tandem receptum eſt. *Inſtitut. tit. de his, per quos agere poſſ.* CICERO *pro Roſcio. Comœd. c. vlt. Alteri nemo petere poteſt, niſi qui cognitor eſt factus.* & CORNIFICIVS in *lib. Rhetoric. ad Herenn. lib.* II. *c.* 13. legem profert, quæ maiorem ſexaginta annis, aut cui morbus cauſa eſſet, cognitorem dare permitteret. Poteſt & hinc intelligi, quod in *l.* 3. *Barbarius. D. de off. præt.* ſcriptum eſt: *Apud eum egerunt vel lege, vel quo alio iure.*.

CAP. XXI.

De Actis iudiciariis & notis.

EOs, qui notis ſcribunt acta præſidum, Reipubl. cauſa non abeſſe definit VLPIANVS in *l.* 33. *inter eos.* §. 1. *D. ex quibus cauſ. maior.* Vnde colligitur olim notis excipi ſolita acta, quæ apud præſides, magiſtratusque habebantur, cum aliter non poſſet loquentium celeritatem manus adſequi. Quod AMMIANVS MAR-

IVRE LICEBAT] Nam omnes legis actiones, ſiue contentioſæ, ſiue voluntariæ iurisdictionis eſſent, ſolennibus formulis erant conceptæ in prima perſona, adeoque non ab alio, quam ab ipſo agente, pronunciari poterant. *v. g.* AIO HANC REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE.

RECEPTVM EST] In actionibus legis ſcilicet contentioſæ iurisdictionis: ſed ita tamen, vt procurator dominus litis fieri fingeretur. In legis actionibus vero voluntariæ iurisdictionis, aliisque actibus legitimis, ſemper vetus permanſit principium, quia in iis procuratorum non tanta erat neceſſitas, quippe quæ ad nullum certum tempus erant reſtrictæ. Confer *Ill. Heineccii Synt Antiqq. Rom. lib.* IV. *tit.* 10. & ICtos, qui de procuratoribus & de dominio litis ex inſtituto ſcripſerunt.

CAP. XXI. Ad hocce caput conferendi omnino ſunt ſcriptores, qui de notis & ſiglis veterum ſcripſerunt, quos indicauit B. *Ioh. Alb. Fabricius* in *Biblioth. Lat. lib.* II. *cap.* 9. *pag.* 363. *ſeq.* & *lib.* IV. *cap.* 6. *pag.* 474. *ſeqq.* & in *Supplementis* ad hæc loca

MAGISTRATVSQVE HABEBANTVR] Immo & in conſiſtorio Principis. Qui apud Præſides Magiſtratusque acta excipiebant, vocabantur *Exceptores*: qui vero in Principis conſiſtorio, vocabantur *Notarii*, & *Tribuni Notarii.* Vide *Valeſii* notas ad AMMIANI MARCELL. locum ab auctore citatum, & ſcriptores de officiis domus Auguſtæ.

CELL-

CELL. *lib.* XIV. *cap.* 9. verbis, quæ ſubieci, comprobat. *Proinde die funeſtis interrogationibus præſtituto, imaginarius iudex Equitum reſedit magiſter, adhibitis aliis iam, quæ agenda eſſent, prædoctis. Et adſiſtebant hinc inde notarii, quid quæſitum eſſet, quidue reſponſum, curſim ad Cæſarem perferentes.* Actorum autem, ſi quis quemadmodum ea olim conciperentur ſcire deſideret, exempla habemus in *l.* 3. *proxime. D. de his, quæ in teſt. delent.* in *l. penult. D. de auctorit. tut.* & in *l. penult. D. ad legem Iul. de vi priua.* & in Beatorum, quos vocant, paſſionalibus libris. Cæterum notis veteres in legibus, Senatusconſultis, edictis ſcribendis vſos vnicus VALERII PROBI libellus abunde docet. Sunt & in hanc ſententiam elegantes MANILII *in libris Aſtronom.* IV. *v.* 15. *ſeqq.* verſus, quibus Notarum compendia qui tenuerit, eum leges & iura pop. Rom. ſciturum, & intra domeſticos, ac priuatos parietes, qualiter cuique ius reddendum ſit, in promtu habiturum ſignificat.

Hic, ait, *ſcriptor erit felix, cui littera verbum eſt,*
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis
Excipiet, longas noua per compendia voces. Et mox,
Hinc etiam legum tabulas, & condita iura
Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba,
Et licitum ſciet, & vetitum quæ pœna ſequatur,
Perpetuus populi priuato in limine prætor.

Erant & notarum pleni iuris ciuilis libri, quarum varia ac ſubtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur, magnæ etiam iudicantibus, diſcentibusque tenebræ offunderentur, nouitii eas Imperatores, quemadmodum ISIDORVS *lib.* I. *Etymolog. cap.* 22. ſcribit, ex legum codicibus ſuſtulere. Et ſane IVSTINIANVS diſerte prohibuit quicquam in ſuis libris notis ſcribi, ne qua malignis interpretibus, imperitisue, verborum euertendorum anſa præberetur. Teſtamenta autem notis ſcribi longe ante in paganorum cauſis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquo modo vellent, & quomodo poſſent teſtamenta facere, principum conſtitutionibus conceſſum fuerat, tunc tolerabatur, cum litteris perſcribi teſtamenta ſua anguſtiæ temporis paſſæ non erant. *l.* 40. *Lucius. D. de milit. teſtam.* Itaque nec notis ſcriptæ tabulæ edicto, quo Prætor ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem defert, continebantur. *l.* 6. *ſed cum patrono. in fin. D. de bono poſſeſſ.*

CAP.

CAP. XXII.

Explicatur l. vnica. C. de Nudo iure Quiritum tollendo.

NOn intelligunt *Accursiani*, quid sibi ea constitutione IVSTINIANVS velit, quæ *de nudo iure Quiritum tollendo* inscribitur. Ac ne intelligi quidem id ex Iustinianeis libris potest: sed eius rei explicatio ex THEOPHILO Græco Iureconsulto arcessenda est: qui duo fuisse antiquitus dominiorum genera perspicue ad *fin. tit. de libertin.* tradit. Naturale vnum, quod in bonis: alterum legitimum, quod ex iure Quiritum appellaretur: quorum vtrumque qui adeptus esset, is pleno iure dominus dicebatur. Quod dominiorum discrimen ab VLPIANO etiam *in Inst. tit.* I. §. 16. diserte proponitur. *Qui tantum in bonis*, ait ille, *non etiam ex iure Quiritum seruum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicuius seruus est, velut hoc modo, si ciuis Rom. a ciue Ro. seruum emerit, isque ei traditus sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emtoris est: ex iure Quiritum autem venditoris est.* Sed & idem auctor eodem *lib. tit.* XIX. *de dominiis*, §. 20. hæc quoque separat. *Si seruus*, inquit, *alterius in bonis, alterius ex iure Quiritum sit, ex omnibus causis adquiret ei, cuius in bonis est.* Hoc autem ex iure Quiritum dominium iustum, legitimumque in veterum libris appellatur: idque sex fere rebus perfici VARRO *lib.* II. *de re Rust. c.* 10. scribit: *si hereditatem iustam adiit, si, vt debuit, mancipio ab eo accepit, a quo iure ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui potuit cedere, & id vti oportuit: aut si vsucepit: aut si e præda sub corona emit: tumue, cum in bonis, sectioneue cuius, publice venit.* Plane enim sine nexus vel cessionis in iure sollemnitate res ex iure Quiritum non abalienabatur, vt & CICERO *in Topic. cap.* 5. indicat,

CAP. XXII. Quæ ad supplendum illustrandumue hocce caput pertinent, peti possunt ex *Tract.* mea *de Testamentif. Cap.* III. §. 9. & § 11. *n.* 1. Confer etiam quæ auctor noster supra *lib.* I. *cap.* 7. tradidit, quæque ibi annotauimus.

DOMINVS DICEBATVR] Siue rem optimo iure possidere, vt loquitur CICERO *de Harusp. resp. cap.* 7. Quando vero hæc dominia erant diuisa, tunc alter rem *in bonis*; alter *nudum ius Quiritium*, siue *nudum dominium Quiritarium*, sine bonitario scilicet, habere dicebatur.

NON ABALIENABATVR] Res mancipi scilicet: aliud de rebus nec mancipi dicendum, vt ex *Tract.* mea *de Testament. ll. cc.* disci potest.

nec aliter alienata ante ex iure Quiritum eius, qui acceperat, fiebat, quam vsucepisset: hereditate certe & legato iustum dominium ex XII. Tab. quaerebatur. Quae omnia ab VLPIANO in *Instit. tit.* XIX. exponuntur. Atque hoc sibi dominium adserebat is, qui vindicabat hac vulgata formula: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITVM MEVM ESSE AIO. Hinc & illa iudicis dati formula apud CICERONEM IV. *orat. in Verr. f. Accus. in Verr. lib.* II. *c.* 12. SI PARET FVNDVM CAPEATEM, QVO DE AGITVR, EX IVRE QVIRITVM P. SERVILII ESSE. Caeterum hanc dominiorum subtilem differentiam IVSTINIANVS sustulit; Eaque est tituli illius, *De nudo iur. Quir. toll.* sententia.

CAP. XXIII.

Restitutum antiquum verbum in l. 13. mulieris. D. de Verborum signific.

Est sua verbis non minus quam rebus antiquitas, cuius nos quoque studiosos esse par est. Itaque vetus elegans verbum Scriptorum incuria multis in locis deprauatum hoc capite restituam. Occasionem praebet VLPIANVS, cuius in *l.* 13. *mulieris.* §. 1. *D. de Verb. signif.* verba haec sunt: *Res abesse videntur, vt Sabinus ait, & Pedius probat, etiam hae, quarum corpus manet, forma mutata est. Et ideo si corruptae redditae sint, vel transfiguratae, videri abesse: quoniam plerumque plus est in manus pretio, quam in re.* Vbi nonnulli emendant, *plus est in manu pretii*: neutrum, vt mihi quidem videtur, recte. Existimo enim ab VLPIANO scriptum fuisse, *Manupretio*, antiquorum more, qui hoc ita coniunctim enuntiabant: quomodo etiam reponendum censeo in *l.* 30. *qui insulam.* §. 3. *qui aedem. D. Locat. pro lapide & manupretio.* VARRO *lib.* IV. *c.* 36. *de lingua Lat. p.* 42. *Quod manu factum erat, & datum pro eo, manupretium, a manibus & pretio.* ISIDORVS *lib.* XI. *Etymolog. cap.* 1. *Abusiue autem manus etiam ars, vel artifex. Vnde manupretium dicimus.* Hoc verbo CATO *de Re rustic. cap.* XIV. vsus est. Vsus est & PLAVTVS in *Menaechm. Act.* III *sc.* 3. *v.* 10. CICERO quoque III. *in Verr. orat. f. Accus. in Verr. lib.* 1. *c.* 56. *Tantum operis*, ait, *in ista locatione fuit, quantum paucae operae fabrorum mercedis tulerunt, & manupretii machinae.* Quo in loco ASCONIVS, *p.* 105 *manupretium dici*, ait, *vbi non tam materiae ratio, quam manus atque artis ducitur.* PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 11. *Nec copia tantum argenti fuerit vitae, sed validius pene manupretium.* Idem *lib.* XXXIV. *cap.* 7. *Numerum apparuisse defuncto eo, cum thesaurum effregisset heres: solitum enim ex manupretio cuiusque signi denarios deponere aureos singulos.* Et paulo post: *Mercurio facto in ciuitate Galliae Aruernis per annos decem, H. S. CCC. manupretio.* Idem *lib.* XXXV. *c.* 10. *Manupretium eius tabulae in nummo aureo mensura accepit.* Emendandus in hoc verbo est TERTVLLIANVS *in lib. de Idololatr. cap.* 8. cum ita scribit: *Tot sunt artium venae, quot hominum concupiscentiae: sed de merce libus & manus pretiis interest:* Legendum enim, vt in superioribus locis, *Manupretiis.* Sensus vero VLPIANI verborum obscurus non est. Hoc enim significat, plerumque pluris esse artificium, atque formam operi artificis manu additam, quam sit materia ipsa. Cuius rei exemplum est in §. 34. *si quis in aliena. Instit. de Rer. diuis.*

HEREDITATE) Quomodo heres, siue testamentarius, siue legitimus, dominium Quiritarium rerum hereditariarum adquisiuerit, exposui in *Tract.* mea *de Testament. Cap.* III. §. 28.

LEGATO) Rei legatae dominium immediate adquirebatur ex legibus XII. *Tabb.* vid. VLPIANVS *Fragm. tit.* XIX. §. 17. ibique *Schultingius* in notis, *pag.* 626. *iurispr. anteiust.*

ENVNTIABANT) Sed veteres promiscue hoc verbum, & coniunctim, (*manupretium*) & separatim, (*manus pretium*) enuntiasse videntur: vnde contra fidem *Codd. MSS.* nihil temere est mutandum.

INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM.

Nota: Numerus Romanus *librum*: vulgaris prior *caput*; posterior *paginam* denotat. Litteræ *not.* appositæ obseruationes indicant.

Fanati-

Munera

Sacra-

FINIS.

